

V 2
5347



2K. 194. (52)

III, 734.

JOHANNIS WENCESLAI DENS
 THEOLOG. DOCTORIS ANTEHAC CAESAREI IN
 KELTSCHEN PRAEPOSITI ET ORDINIS MINORVM
 CONVENTVALIVM SWIDNICII IN SILESIA
 GVARDIANI
 AD RELIGIONEM LVTHEANAM
 CONVERSI

Vg
 5347

LV THER VVS

CVM
 SOLE COMPARATVS
 IN PVBLICA ACADEMIAE SALANAE
 PANEGYRI

IPSO
 MARTINI LV THER I

DIE
 REPR A ESENTATVS.

ACCEDIT PRAEFATIO HISTORIAM VITAE
 AVCTORIS COMPLEXA.



JENAE.
 SVMP TIBVS AVCTORIS.
 TYPIS BAVHOFERIANIS.
 CVM PRIVILEGIO VII. PRAECEPTI: NE FVRTVM FACIES.



22. April 1719

1719

SERENISSIMIS POTENTISSIMISQVE
PRINCIPIBUS
NVTRITORIBVS ACADEMIAE
SALANAE MVNIFICENTISSIMIS
DOMINO

ERNESTO
DOMINO

IOHAN. ERNESTO
DOMINO

IOHAN. GEORGIO
DOMINO

BERNHARDO

DVCIBVS SAXONIAE IVLIACI
CLIVIAE ET MONTANIAE COMITIBVS PRO-
VINCIALIBVS THVRINGIAE COMITIBVS LI-
MITANEIS MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE
COMITIBVS HENNEBERGAE COMITIBVS
MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNA-
STIS RAVENSTEINII.

DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS



SALVTEM AETERNAM
VITAM PROLIXAM
IMPERIVM SECVRVV
DOMVM TVTAM
EXERCITVS FORTES
SENATVM FIDelem
ACADEMIAM FLORENTem
POPVLVM PROBVM
PROVINCIA S QUIETAS
ET QVAECVNQVE MAGNATVM VOTA SVNT
ANIMITVS PRECOR

ET SIMVL

HAS CONVERSIONIS MEAE PRIMITIAS
VBERIORVM FRVGVM PRAENVNCIAS
AC INTEMERATÆ CONSTANTIAE INDICES

DEVOTE OFFERO

VESTRARVM SERENISSIMARVM
CELSITVDINVM

NUMILLIMVS SERVVS

IOH. WENCESLAVS DENS.





JOHANNES WENCESLAVS DENS
BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

Ille ego qui quondam Religionem Lutheranam Vatiniano prosequerbar odio, quique Lutheranis nimium quantum ægre faciebam, per Spiritus S. gratiam ex tenebris Papalibus ereptus, ac luci Evangelicæ restitutus, adeo æstimare cœpi B. L. V. THERVM, ut ejus honori Panegyricum scribere ac dicere non sim veritus. Jam quartus hic est annus, ex quo Meretrici Babylonicæ remittens nuncium, cum suavissimo animæ meæ Sponso JESV CHRISTO, de cujus amore misere seductus eram, in gratiam redii; aut ille potius ineffabili gratia sua se mihi denuo desponsavit. Factum est tamen nescio quomodo, ut ab illo usque tempore publicam nullam scriptoque typis edito comprehensam conversionis meæ indicinam exhibuerim. Nullum in causa fuisse Ægyptiacarum deliciarum honorumque repetitum desiderium, novit Is, qui omnia. Et sane, si vel levissimum fluctuationis meæ deprehendissent indicium, tam præclaris testimoniis Lipsiensis ac Wittebergenfis Academicarum Proceres (ut plures alios nunc taceam) causam meam Magnatibus nunquam commendassent. His tamen quod innotuiferius, fecit mea modestia, & præsentis parvitas (ampullas & sesquipedalia verba projicere non didici) conscientia. Inprimis tamen a scribendo me revocavit gravissimus, quo cum acerbe conflict-

fluctatus sum, morbus: qui me spes longioris vitæ inchoare
vetuit, & ad colligenda vasa, ac cœleste iter unice meditan-
dum impulit. Hac tamen ægritudine per Divini Numinis
potentiam solutus, ac SERENISSIMORVM SAXO-
NIÆ DVCVM, imprimis autem SERENISSIMI ER-
NESTI PII liberali ope sublevatus, tandem aliquando in
lucem prodeo, & studiorum in Lutheranismò primitias
tuo, Benevole Lector, iudicio expono. Quoniam autem
mihi persuadeo, scire te percipere, quis sim, quis fuerim,
& quo pacto ex erroribus Pontificiis liberatus ad Evange-
licam infallibilem veritatem reductus sim: non pigrabor
breve vitæ meæ historiolum contexere, & ab ineunte
ætate incipiendo, per pueriles ac adolescentes annos, per
monastica vota, variosque dignitatum gradus, ad salutarem
παλιγγενεσίαν meam pergendo, in præsentis vitæ statu desine-
re. Coram Deo autem perspicacissimo cordium scrutatore,
coram Sacro - Sancta TRINITATE, coram Sanctis Ange-
lis, coram bonis omnibus solenniter protestor, nihil in me-
dium me allaturum, quod non pluribus, quæ penes me sunt,
publicis privatisque epistolis, vel circumstantiis fide di-
gnissimis, vel religioso optimæ fidei juramento confirma-
re liceat.

Decimus mensis Novembris dies in vigiliis Martini
Episcopi tum incidens, anni a nato Servatore supra mille-
simum sexcentissimi sexti & trigésimi, natalis mihi fuit.
Patriam habui celeberrimam regni Bohemici metropolin
Pragam, ubi postridie in templo Veteris Urbis, quod a
Martino nomen habet, baptizatus, & a Johanne Pistorio de
Kotnovva Imp. Ferdinando III. in Cancellaria Bohemica
a Secretis, & Dorothea Berensteinska, Cive primaria, aliis-
que nonnullis ex sacro fonte levatus, Johannis Wenceslai
nomen accepi. Pater erat Gregorius, frumentorum scriba,

Vir honoratus, & sæpius majoris dignitatis Præfectorum vicibus defungens: mater vero Anna Pavvlikia: ambo Augustanæ Confessioni ex animo addicti, & a majoribus quoque ejusdem religionis oriundi. Sed quod Pater tertio a nativitate mea anno decederet, in Susannæ Taborskyanæ, maternæ sororis domo, una cum unico fratre ad annum ætatis octavum sollicite enutritus, & primis fidei orthodoxæ rudimentis imbutus sum. Eopse anno, qui erat hujus seculi quartus & quadragesimus, mater secundas nuptias fecit cum Johanne Hlavvatzickio cive Præsticensi: ac tum Scholam Pragensem ad S. Petrum me jusserunt frequentare. Hic cum in Dominico Palmarum die, pro more Prægæ consueto, albis indutus vestimentis, cum ceteris pueris ad cantandos in templo hymnos paratus, summo mane in ludo obdormiscerem, per somnium magnam vocem lingua Bohemica hæc verba: *Beati qui in Domino moriuntur*, clamantem me audire putans, repente expergefactus, inter puerilia lamenta, ac flebiles ejulatus, præsentis matri quid audiverim refero: quæ me blandis verbis compescens, hoc dictum ex Sacra Scriptura petitum, verbaque divina esse edocens, prohibere tamen non potuit, quin inter crebras vomitiones in animi deliquium incidere: a quo tamen præbitis medicamentis, in somnum, ut indutus eram, compositus, brevi solutus fui: sic etiam, ut adulto die cum ceteris pueris ad cantanda cantica procederem. Post illa fratre Adamo Tobia ad patruelem Wenceslaum Dens, qui Principi Lichtensteinio a munere erat Capitanei, misso, ipse Johannis Auseczkii Ludimoderatoris Evangelici ad ædes Cœlestium (vulgo Unebeskeich) institutioni commendabar, qui ad annum ætatis duodecimum sollicitam mei curam gessit. Dum vero anno præsentis seculi octavo & quadragesimo, recedentibus per Pacem Westphalicam Suecis, qui
supe-

superiori anno, Duce Illustri Konigsmarckio, Minoris Pra-
ga facti erant compotes, universalis illa Pragensis Urbis &
totius regni Bohemici reformatio publicum omne religio-
nis Lutheranae exercitium excluderetur; Wenceslao Schra-
meckio, religionis nescio cuius Praeceptor, usque ad quar-
tumdecimum aetatis annum adhæsi. Atque hoc anno pu-
blica primum Iesuitarum informatione, ac in humaniori-
bus Tannero Doctore usus, Auricularem Confessionem e-
dere, ac Communionem sub una, matre admodum dolente,
frui coactus sum. Ingressus annum sextumdecimum, quod
illustri Comiti Bohuslao a Seckerka, Exuli, qui tunc tempo-
ris Aulae Bernburgensis vicarius Praefectus erat, commen-
darer, ad Principatum Anhaltinum missus, in Calvinianam
sectam, laudati Comitis, ejusdemq; Celsissimæ uxoris, ac Con-
cionatoris Aulici persuasum propemodum incidissem. Quod
mater, majori Reformatos, quam Pontificios, odio profecu-
ta, intelligens, me cum Illustri Comite Pragam reversum
noluit dimittere: ubi iterum Praeceptores nactus Iesuitas,
crebris ab iisdem, & imprimis Patris Cothæ flagitationibus,
ut Ordini cuidam nomen darem, maceratus, promissioni-
busque de futuris honoribus incitatus, tandem iisdem assen-
si: ac motus Dominicanorum flexis genibus in æde ad S. Æ-
gidium Litanias Lauretanæ decantantium superstitione,
matre ac vitrico insciis, Ordinem Fratrum Minorum Con-
ventualium anhelavi. Annus agebatur septimus ultra quin-
quagesimum, quando Patribus Francisco Zeilner, & Dida-
co Novatio, Theologiae Doctoribus per schedulam desiderii
indicem me insinuavi, & mense Julio, interposita conditio-
ne, ut matri rem aperirem, receptus sum. Hæc incredibili
cum animi dolore necquicquam me a proposito revocans,
cum vitrico, sorore sua, meoque fratre, inter innumeros ge-
mitus & suspiria, præ porta monasterii Iacobei vale mihi
dixit.

dixit. Hinc a Provinciali Doctore Zeilnero introductus
in cubiculum, Magistri Cornelii, Viri, si religionem excipi-
as, boni doctique curæ commissus sum. Tandem in festo
Nativitatis Mariæ, generali Confessione absoluta, pro mo-
re rarus, habitu monastico indutus, albamque candelam ma-
nibus præferens, ad templum deductus, Communione in e-
odem utebar Papistica. Anno solitæ Probationis expleto,
cum vita monastica displiceret, matrisque monita obversa-
rentur animo, renunciare volens Ordini, M. Cornelii obse-
rationibus ac obtestationibus commotus, per biduum jeju-
navi, Deumque, ut rectam me doceret viam, indefinentibus
implorans precibus, per somnium tergemina hanc audivi
vocem (Deus intelligit nequaquam me mentiri) VIN-
CENTI (id nominis in monasterio accepi) EXEAS EX
HAC RELIGIONE. Ego vero ductum Cornelii, cui ta-
men somnium non aperui, secutus, id pro Diabolica, de qua
is toties dixerat, habens inspiratione, eo majori cum fervo-
re semel cœptum Religiosi hominis iter profequendum fir-
miter apud animum constitui. Quapropter magna cum
pompa ad edendam professionem trium votorum, Castita-
tis, Obedientiæ & Sine Proprio (hoc apud ordinem meum
in locum Paupertatis concessit: ac designat, per totam vi-
tam Fratribus licere uti mundanis bonis; at per testamen-
tum aliquid legare fas non esse: sicuti ea de re alibi agam
uberius) in templum deductus, in geniculans coram imagi-
ne S. Antonii de Padua, in Provincialis verba, ex libro Regu-
larum S. Francisci, quem manibus tenebam, lecta juravi. At-
que is elevata super caput meum dextra manu his verbis ma-
le mihi potius, quam bene dixit: *Et ego ex parte Dei Omnipoten-
tis, si hæc omnia servaveris, promitte tibi vitam æternam, in nomine
Patris, Filii & Spiritus S. Amen.* Anno octavo & quinquage-
simo seculi præsentis, ætatis vero altero & vigesimo, in Qua-
dra-

dragesima, Sacramento, pro quo habent Pontificii, Confir-
mationis insignitus, prima tonsura mactatus, ac priori Exa-
mine defunctus, in Archiepiscopalis Pragensis palatii sa-
crario quatuor Ordinibus minoribus initiatus fui: duobus
Ordinis Crucigerorum cum Rubea stella ex Hospitali penes
pontem, patrinorum instar testimonium actui perhibenti-
bus. Eodem anno, Patrem Leonem Zavaczinskyum Dia-
lecticam in via Scoti (ut appellant) dictitantem magno cum
fervore animi auscultavi. Inde missus Horazdovicium,
quod oppidum est Bohemiæ XIII. miliaribus Praga disti-
tum, apud Patrem de Manfredonia, Doctorem Theologum,
& Gvardianum Dialectica studia continuans altero Pente-
costes feriato die Orationem de Spiritu S. in publica habui
Panegyri. Quemadmodum etiam aliquoties lingua Bohe-
mica sacros ad populum sermones in Ecclesia feci. Dein-
ceps a toto Capitulo Pragensi repetitus, volente Provinci-
ali, Pragam reversus, Parentibusque valedicens, ad metro-
polin Silesiæ Vratislaviam contendi. In hac Illustri Vrbe
ad S. Dorotheam Doctrinarum in Philosophicis excolenda-
rum ergo collocatus, Logicam & partem Philosophiæ Na-
turalis sub Doctore Antonio Polono hausi. Sequenti an-
no a Generali Ordinis Gabriello de Ascoli (quem Patres
per jocum vocabant Nasonem) in Italiam excitus, Bononiæ
sedem figere necessum habui. In hac Studiorum Matre (sic
in antiquis nummis appellatur) complures Professores Aca-
demiæ, Conventusque nostri Doctores audiendo meum fe-
ci officium. In illis erant Laurentius Fabri Bononiensis,
Metaphysicus publicus: D. Bartholomæus Mazzarius de Lu-
go, Prof. Theologiæ: D. Bonaventura Cichardi de Monte
Politiano: D. Martini, Lector dogmatum; D. Broglia, stirpe
Marchio, Canonum Lector, qui postea in aquis misere pe-
riit: Doctor Zambonini universæ Philosophiæ Professor.

b

In

In his præcipuum nomen habebant Conventus Baccalaureus,
Doctor Sicilianus, & alius Magister Studiorum, Bononien-
sis juvenis, qui postea me adhuc Bononiæ versante domi
sua decessit. Anno ævi currentis sexagesimo a Jacobo Fa-
bretti de Ravenna, qui more insolito a solo Pontifice creatus
erat Generalis Ordinis, quod & præsentis Generali contigit:
(alias id incumbit sexto quoque anno omnibus Provinciali-
bus, aut per se, aut per legatos Romæ comparentibus)
Baccalaureus Theologiæ creatus, mox a Iohanne Stephano
Tit. S. Agathæ Rom. Ecclesiæ Diacono Cardinali Donchio
in Ordinem Diaconatus cooptabar in civitate Imolensi. Pau-
lo post a nimio recentium ficuum esu in ardentissimam in-
cidi febrim: a qua, cum Itali omnes de vita actum esse cre-
derent, Divini Numinis ope, per celeberrimi Medici Pro-
fessoris Kuckii, qui frigida potum contra morem Italicum
(frigida bibere in his morbis instar præsentis habetur ve-
neni) mihi indulgebat, sollicita cura liberatus, pristinaque
valetudini restitutus, studiis Philosophico-Theologicis enixè
invigilavi, & Theses Philosophicas iterum atque iterum pu-
blice defendi: ac anno secundo ultra sexagesimum quoque
Theologicas, in templo S. Francisci, præsentibus Marchione
Fachinetti subitanea morte postmodum extincti, Comite
de Malvasia, multisque aliis splendidissimis ex utroque sexu
personis. Has inscripsi Eminentissimo ERNESTO Adal-
berto Rom. Eccl. Tit. S. Praxedis Presb. Cardinali ab Har-
rach, Archiepiscopo Pragensi, Principi Legato Nato, S. Cæs.
Maj. intimo, & Actuali Consiliario, Regni Bohemiæ Prima-
ti, Provinciarum regnorumque hæreditariorum S. Cæsar.
Maj. Comprotectori, & Ord. Crucigerorum cum Rubea
Stella per Bohemiam Moraviam Silesiam & Poloniam su-
premo Magistro Generali, nec non Collegii Ferdinandi
Veteris Pragæ ad S. Jacobum Protectori: earundemque ex-
emplum

emplum velo sericeo magnifice impressum adhuc conseruo.
Anno demum atatis quarto & vigesimo, cum annum scriberemus sexagesimum, Mutinæ, examine prævio, ad Sacerdotalem Presbyterii dignitatem XII. Mensis Martii die electus sum per Mutinensem Episcopum, cui nomen Hector Molza: idque ob Cardinalis Vidoni absentiam. Primitias missaticas in festo Annunciationis Mariæ, in templo S. Francisci, ad majus altare, tempore solennium illarum Crucifixi miraculosi Indulgentiarum, obtuli, & ut eram edoctus, omnibus manus meas osculantibus easdem illorum capiti imponens, murmurando istud: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, plenissimas omnium peccatorum dicavi indulgentias. Quod quidem manuum osculandarum Indulgentiarumque contribuendarum privilegium, more Majorum, tamdiu durabat, quamdiu tria Sacra summe privilegiata, nempe *de S. Spiritu, de S. Maria & Pro Defunctis* celebrarem. Anno secundo & sexagesimo Generalis noster magnam quasi facturus mihi gratiam, ad Collegium Bonaventuræ ad Sanctos Apostolos Petrum & Paulum, Romam me mittere decreverat: sed quod Italici soli æstum reformidarem, me eisdem excusabam, & devotionis ergo Loretum, Romam, Assisium excurrendi licentiam petens, eadem, ut & honorifico testimonio, quod mihi superest, impetratis, itineri me accinxi. Et Loreti quidem octidui mora ob incredibilem Religiosorum confluxum insumta, famosam quidem illam, sed fictitiam S. Mariæ casam Bethlehemiticam lustravi, & in eadem Trigram Missarum, ac rosarium quoque meum, quod adhuc penes Dn. D. Schertzerum est, per Diaconum, statuam Mariæ fuliginosam attingere feci: ut scilicet secundum illius dimensionem precatus, plenas ipse indulgentias (o cæcitatem mirificam!) locupletissime impetrarem. Assisii in magnifico illo Sacri Conventus templo sæpius apud Arcam Francisci Mis-

ſam celebravi, roſariumq; meum in cryptam tertiæ Eccleſiæ
miſſum tantam reportavit ſanctitatem, (vide B. L. ineptias) ut
omnibus peccatorum maculis eluendis ſufficeret. Romæ be-
nedictionibus Alexandri VII. qui ante Papatum Fabius Chi-
gius dicebatur, interfui, & ſacra alia Romana vidi. Hinc Pra-
gam ad novum Collegium Ferdinandeum, quo vocatus e-
ram, reverſus, poſtquam ibidem a Generali, & Doctore Bini,
illius poſtea in Generalatū ſucceſſore, a Doctore Iona, nec
non Doctore Roſini examinatus eſſem, anno altero & ſexa-
geſimo, XIIIX. Maji, præſente Archiepiſcopo Pragenſi Cardi-
nali ab Harrach, Collegialis; & tandem examine in Caſibus
Conſcientiæ præmiſſo, Pragenſis Diœceſeos Confeſſarius
conſtituebar. Poſtremi hujus muneris teſtes habeo patentes
Cardinalis Harrachii literas ab Henrico Meklenburgero,
Archiepiſcopali Cancellario, abſente Cardinali ſubſcriptas.
Anno quoque tertio & ſexageſimo, auctoritate Archiepiſco-
pali per unum annum accepi poteſtatem abſolvendi a Caſi-
bus Reſervatis, nec non ab hæreſi, excepta Cenfura Excom-
municationis lata propter violentam manuum in Clericos
injectionem, ſic tamen, ut ſingulis quadrantibus, uti poſcit
Bulla Archiepiſcop. a dicto Cancellario ſubſcripta, hæretico-
rum (ut ajunt) Lutheranorum publicorum nomina quos con-
verterim, Cancellariæ Archiepiſcopali exhibere tenerer. Anno
quarto & ſexageſimo, ætatis XXVIII. menſe Majo Theſes
pro conſequenda mitra Doctorali, ſub præſidio Pauli Ro-
ſini de Parma, Artium Liberalium & Theolog. Doctoris ac
Ord. Prof. nec non Collegii Ferdinandeï de propaganda Fi-
de Regentis, pro virili defendi: quas Wenceslao Honorio
Saffein, AA. LL. & Theolog. D. Bohemiæ Diffinitori per-
petuo, nec non ad S. Iacobum veteris Pragæ Regalis conven-
tus Ord. Minor. Conventualium Gvardiano, dedicatas, ac
eadem velamini ſericeo impreſſas poſſideo. Eodem anno
Mona

Monachis omnibus Slanam (oppidum est Bohemiae Comitum
de Martiniz Supremi Burggravii) ad solennem processio-
nem discedentibus cura Conventus mihi commissa fuit, & se-
quenti die sermonem sacrum de mysterio SS. Trinitatis ad
concionem in templo S. Iacobi habui. Nec minus etiam
alias saepissime diversis in Bohemiae locis concionatus sum.
Postea XXX. mensis Septembris anniversario S. Hiero-
nymi die, in recitato templo Iacobeo a Reverendissimo & Il-
lustrissimo Domino Suffraganeo Pragensi Naftaupilo, cui
saepē nominatus Cardinalis ab Harrach Viennam profectus,
delegatam potestatem dederat, Theologiae Doctor solenni
ritu renunciatus, vi Doctoralis hujus Laureae, perpetuus Pa-
ter Conventus Pragensis constitutus fui. Pragae deinde ali-
quamdiu commoratus, Professor Philosophiae a toto Capi-
tulo Provinciali creatus, mox Magister Novitiorum, dein-
ceps Praesidens Conventus eligebar. Anno quinto supra sexa-
gesimum, mense Ianuario, denuo potestas absolvendi a Reser-
vatis Casibus, auspiciis Archiepiscopalibus mihi collata est.
Hoc item anno, mense Junio, ab excessu Antonii Rulikovskii
Bohemiae Diffinitoris perpetui, & Conventus Pardubicensis
Gvardiani, publicis Francisci Zeilneri, Gvardiani Crumlo-
viensis & Commissarii Provincialis Bohemiae Silesiae & Lu-
satae, literis, Conventus laudati Praesidens, & Mense Septem-
bri ejusdem Conventus Gvardianus dicti jam jam Zeil-
neri, Capituli Provincialis Praesidis aliis literis constituebar.
Anno sexto & sexagesimo iterum licentia a Casibus Reserva-
tis & haeresi absolvendi ab Archiepiscopo singulari bulla
VIII. Februarii per scripta mihi concessa est. Et tandem
XIX. Mensis Septembris die, unanimi Congregationis Pro-
vincialis consensu, Conventus B. Mariae in Sylvis Civitatis
Svvidnicensis in Silesia Gvardianus, auctoritate patentium
literarum a Provinciali D. Davide Rotbauero subscriptarum

eligebar. Atque hic ipse quoque annus est, quo ad splendidum
Præpositi Cæsarei fastigium sublatus sum. De eo ne quis
dubitet, in manibus habeo luculentum testimonium, literas
majori Episcopatus Vratislaviensis sigillo & manu Sebastia-
ni Episcopi subscriptas: quas non pigrabor integras hic in-
ferere

Nos **SEBASTIANUS Dei Gratia** Epi-
copus Vratislaviensis, Sacræ Cæsareæ Regiæque Mittis Con-
siliarius & Regius Administrator Supremi Capitaneatus per
Ducatum Vtriusque Silesiæ &c. Universis ac Singulis per Præsentes
requirendis gratiam nostram & omne bonum. Vacante Præpositurâ
& Ecclesiâ Parochiali in Költſchen, cujus Collatio ad Sacram Cæsa-
ream Regiamque Majestatem, Dnum nostrum clementissimum, & ex
delegatione ad eisdem in Ducatibus Svidnicensi & Jauroviensi, Ca-
pitaneum spectare dignoscitur, post abitum Venerabilis Religiosi Pa-
tris Danielis Dolezial, Ord. Min. S. Francisci Conventualium, Svid-
nicensis Conventus ad B. Virginem in Sylvis Quardiani, ultimi & im-
mediati ejusdem Possessoris, ne Populum & Parochianos Verbi Di-
vini annunciatione, Sacramentorumque administratione destitui con-
tingat, Nos ad Præsentationem Illustrissimi Domini Christophori
Leopoldi Schaffgottsch, Sacri Romani Imperii Semper-Frey de & in
Kynast, Liberi Baronis de Trachenberg, Domini Hereditarii in
Kynast, Greiffenstein & Boberröhersdorff &c. Sacræ Cæsareæ Ma-
jestatis Consilarii, Actualis Camerarii, & ejusdem Camerae in Silesia
Præsidis, nec non in Ducatibus Svidnicensi & Jauroviensi Capitanei
&c. Eam Venerabili Religioso Patri Vincentio Denti, Ordinis S.
Francisci Minorum Conventualium prædicti Conventus Svidnicensis
Quardiano pro nunc existenti contulimus, eumque desuper, quamdiu
in sæpius memorato Conventu is Quardianus extiterit, & à Supe-
rioribus suis aliò advocatus non fuerit, investivimus, utri quidem
conferimus & investimus in DEI nomine per Præsentes, administra-
tionem in Spiritualibus cum Temporalium regimine ipsi planè tra-
den-

dentes. Ac proinde Vobis, qui presentibus requisiti fueritis, committimus & mandamus, ut recepto prius ab Eodem, juxta Prescriptum Sac. Sancti Concilii Tridentini super Catholica Fidei Professione, tum quoque de obedientia ac reverentia Nobis utpote Loci Ordinario praestanda, deque non alienandis, quin imò pro posse recuperandis, ejusdem Praepositurae & Ecclesiae bonis, solito corporali Juramento, praemisso examine, eundem Investitum nostrum aut Procuratorem ejus legitimum, suo tamen nomine in Possessionem dictae Praepositurae & Ecclesiae Parochialis cum Appertinentiis Nostrae Auctoritate introducatis legitimè corporalem, Ipsique de universis ac singulis Juribus, fructibus, emolumentis, decimis, censibus, & obventionibus, à Censitis & Redituariis faciatis integrè responderi. In quorum fidem Praesentes manu propria subscriptas, Episcopali Sigillo nostro communiri iussimus. Vratislaviae die Trigesimâ Novembris Anno Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo Sexto &c.

SEBASTIANUS.

(L.S.)

Quantam existimationem, venerationem, auctoritatem, & potestatem conciliarit mihi ista Praepositurae dignitas, fatius est tacere, quam nescientibus Cleri Pontificii prerogativas dubitandi de eo occasionem praebere. Et licet ex alia quadam mappa, quam servo, sericea de his afferre aliquid valerem, id tamen modestiae ergo cum ceteris praetero. Novit tamen magna pars Silesiae, cognovit caput Silesiae Vratislavia, percepit Iaurovium, meminit Svidnicium, ac multi Lutheranorum suo cum incommodo damnoque intellexerunt. Cum enim per diploma Episcopale potestas mihi esset data vindicandi pro virili Praepositurae bona, tam mascule, tam strenue illud feci, ut nihil supra. Fundationum monasticarum ratione, in quas inquirebam insolito improboque studio, & nomine supremi juris in Pfaffendorf,
in jus

in jus vocabam Comites, Barones, & ex Nobilitate plurimos, ut de inferioris sortis hominibus nihil dicam: & quod plenam a Prælatibus Vratislaviensibus accepissem potentiam, ac suppetias semper mihi ferret Regium Officium, plerumque causam victor obtinebam, ac per primorum felicem successum ad majora grassabar: nihil habens pensi, modo jura monasteriorum quam accuratissime servarem, & religionem Pontificiam latissime propagarem. Hinc fieri non potuit, quin multis Lutheranis ægre fecerim: ex quibus pios bonosque pro conversione ac facilitate mea Deum implorasse; ferocius mala omnia mihi imprecatos, par est credere. Qui mediam sunt secuti viam, innumeros gemitus questusque effuderunt, quibus meum persecuti sunt rigorem, & acerbissimam summam. In odio multorum me fuisse, sat scio: quippe cum intelligerem, inquietum ab iisdem me indigitari Civardianum. Institi autem huic viæ ad annum usque octavum & sexagesimum: quo primum cœpi ad animum revocare querelas Lutheranorum: præcipue, postquam Dominum Nicolaum de Zedlitz, ex primaria Nobilitate, magnæ doctrinæ, antiquæque Virtutis & fidei Virum, grandævum licet Senem, præ mœrore decessisse, ipsi Pontificii susurrarent: accederentque tot voces de nostræ falsitate, ac Lutheranae religionis indubitata veritate. Primum igitur de legendis curatius Doctorum Lutheranorum libris consilium inii: non eo quidem animo, ut rectiora docerer; sed ut Lutheranos æque in Theologicis confunderem, ac expromte feceram in Politicis. Atque id eo facilius me perfecturum credebam, quod Dialecticas strophas scirem, nec subtilioris Philosophiæ sensum per civiles actiones crebras deposuissem. Quod tamen non audacter liceret legere hos libros, feci id tectius, & per me in Bibliotheca Svidnicensi tales inquisivi. Sed cum diu frustra de iisdem laborassem, incidi
tan-

tandem in volumina sub pulpitis & riscis, in pulvere, siti
ac squalore jacentia, & capite ac calce destituta. Ex his
cum nonnullos pervolverem, vidi me reperisse, quod vo-
lebam, & quandoquidem gravissima pietissimaque dicta,
absque argumentationibus multis Philosophicis, maxime ex
S. Scripturæ codice confirmata deprehenderem, tacita me
incessit Scripturæ veneratio, eandemque curiosius decrevi
legere, & cum Lutheranorum sententiis conferre. Quæ
cum in omnibus convenirent, nauseam nostrarum dispu-
tationum ad ratiunculas Philosophicas, ad ambigua Patrum
effata, ad arcem causæ, ad Concilium Tridentinum scilicet,
tanquam ad sacram quandam anchoram confugientium
non mediocrem sensi; & Scripturam, quam amabam antea,
intimius occæpi diligere. Singulos quos pervolutaverim li-
bros non habeo dicere: quod frontispicium & ultima, ceu
dixi, ex iisdem insigni fraude resecta essent. Martini ta-
men Chemnicii Examen Concilii Tridentini, & Menzeri
nonnulla integra fuerunt: quibus etiam præcipue legendis
invigilabam. Vide igitur, Lector Optime, annon Sanctus
Spiritus, cui unice conversionem meam adscribo, mirabili
consilio, pessimum meum de turbandis & confutandis Lu-
theranis propositum in contrarium verterit, & dum alios
pervertere volebam, ipse sim conversus. O JESU CHRI-
STE, quantas tibi pro eo agam gratias? O æterne Pater
misericordiæ quid reponam tibi pro hac ineffabili bonita-
te? Inprimis autem Spiritus Sanctus per optimæ Matris
meæ, quam una cum vitrico in Præpositura mea in quin-
tum annum alui, verè alterius Monicae, preces ardentissi-
mas, ac saluberrima monita stimulos ad meliora addidit.
Licet enim, antequam ad sanio rem mentem revocarer,
sæpius eidem solius religionis nomine, ægritudinem attule-
rim; paucis tamen ante pium ex hac vita excessum quando

c

viari-

vitricus placida morte præcedens conjugem brevi secutura
ram prædixerat, religionis scrupulos eidem exposui: quæ
in tantum est resoluta gaudium, ut omnia cordis arcana,
multaque quæ me latuerant hæcenus, præsertim ad miram
in vera Religione conservationem pertinentia secreta in
sinum meum effunderet, ac æquissimo animo se morituram
testaretur: modo ipsi confirmarem, me Religionem Papi-
sticam deserturum: quod etiam stipulata manu in nomine
SS. Trinitatis feci. Quæ deinde XVIII. Ianuarii, anno se-
culi nono & sexagesimo, ipsa annum ætatis secundum & se-
ptuagesimum agente, in IESU suo obdormivit, & de quo
nullus dubito, ab eodem in cœlestem Paradisum recepta est.
Hic autem non possum non fateri, ac ex toto pectore dole-
re insignem quandam temeritatem, ac impiam præsumpti-
onem meam. Anno octavo & sexagesimo cum die quo-
dam Dominico coram Altari sermonem ad populum ha-
berem, ciborium cum hostiis consecratis habens in ma-
nibus, his verbis circumstantes, & passim genua flecten-
tes alloquebar. *Ille Deus, quem hęc oculis vestris cernitis, quem-
que licet indignus manibus meis gesto: ille vere transsubstantiatus
panis in corpus & sanguinem preciosissimum Redemptoris nostri
IESU CHRISTI, qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos
& reducit: ille inquam faciet ut iste senex Susannita (optimum
Senem Zedlicium designabam) & omnes persecutores Catholica
Religionis, Præposituræ, & Monasterii Svidnicensis brevi sint peri-
zuri, nec annum supervicturi.* Cumque non multo post, lau-
datus, sed nunquam sat laudandus Dominus a Zedliz diem
supremum obiret, ac veteranus quoque Præposituræ meæ
subditus Reiprichtus, quem paulo ante pecunia & cippo
mulctaveram, nec nisi sub hac conditione, ut bona sua agre-
stibus Pontificiis venderet, dimiseram: magnus horror sim-
plices invasit Lutheranos ruricolos, ut pæne defectionem a
Reli-

Religione sua meditentur. Sed cum anni sequentis, XI. Ianuarii die optimus Vitricus meus vita excederet, ac Mater quoque graviter decumberet, poenam hanc divinitus mihi immitti non sine causa existimavi. Quamobrem quoque pristinam licentiam indulsi subditis vacare Religioni suae; qui valde mirabantur, unde haec animi mutatio, ac rara indulgentia oriretur. Ceterum, quid mihi hic sit objecturus Matthias Schuffenhauerus, Iesuita & Parochus quondam Svidnicensis, praevideo. Ergone, dicet, Matrem in Religione Lutherana decessisse audes affirmare: cui non modo exequias Pontificio ritu fecisti, sed etiam in fide Pontificia decessisse manu tua ad me perscripta asseruisti? atque id ipse sermo Parentalis a me habitus vitaeque maternae historiola Nyssae per Iohannem Constantinum Schubart excusa testabuntur. Sed heus bone Schuffenhauere! Haec omnia probe mihi sunt cognita; &, dum haec scribo, orationem tuam Lutheranis verbis quandoque loquentem in manibus habeo. Verum, si quid ad te de Religione matris Pontificia scripsi aut dixi, falsum in eo me fuisse libens fateor. Et quamvis me in eo peccasse non ignorem, scio tamen Redemptorem meum pro his longeque maioribus peccatis meis, inter quae illa religionis Lutheranae persecutio principatum obtinet, plene satisfecisse; nec esse cur Diabolus, vel tu, vel quisquam alius haec ulterius mihi objiciat. Nondum enim tum temporis tantum gratiae a Deo acceperam, qui pro Religione martyrium subire paratus essem. Ad te igitur revertor, Mater dulcissima, tibi nunc, quod publice nondum est factum, parento orthodoxe, tuamque pietatem, probitatem, constantiam in Religione, concordiam in matrimonio, sollicitudinem in me fratreque educando, dignis extollo praconiis, ac aeternam animae salutem, quam jam tum recipisti, tibi gratulatus, laetissimam corporis

ris resurrectionem, & cum anima conjunctionem animatus voveo. En votum tu es consecuta tuum! en meum equidem servavi, & quod invicem discessuri precabamur, in æternum nos iterum visuri, ac in incredibile æternitatis gaudio per vulnera Salvatoris nostri parto victuri sumus.

Post hanc digressiunculam ad propositum redeo. A morte ac sepultura Matris nihil mihi erat prius, quam quomodo ex vinculis tenebrarum Papalium me exsoluerem. Sed quod commoda se aperiret via nulla, cum summo dolore meo in sequentem annum differre abitum cogebat. Is nunc quomodo mihi obtigerit, disertius exponam. Augustus mensis erat anni ab æra vulgari septuagesimi sexcentissimi supra millesimum, quando a Doctore Bonaventura Saslein, Ministro Provinciali & Commissario Generali Bohemæ Ordin. Minor. Conventual. publica epistola ad Congregationem Provinciam Pragæ celebrandam adeo peremptorie citarer, ut nisi Curia Stylus mihi fuisset cognitus, facile habuissem aliquid sinistri suspicari. Huic Epistolæ morem gessi, & statim tempore Pragæ comparui. In consessu pleno tanta de me fuit Collegarum Diffinitorum existimatio, ut me XXIV. Septembris die in Custodem Custodiæ Vratislaviensis, quæ non vulgaris per Ordinem nostrum dignitas est, & visitationem Monasteriorum Vratislaviensis, Suidnicensis, Leobergensis, & Jauoviensis respicit, communi eligerer suffragio. Diploma Sigillo Provinciali Bohemæ, manuque Sasleinii firmatum, ut & Citationem adhuc aservo. Hoc igitur munere suscepto, traditoque mihi Custodiæ Sigillo, serio de deferendo Papatu meditabar: Nec defuit cogitatis Divina benedictio. Reversus enim Suidnicium, compositis omnibus Præposituræ, & Monasterii, cuius Gvardianus eram, rebus, mihi que de summa pecuniæ legitime parta prospiciens, unicum assumendo famulum, sententiæ consciū

scium Svidnicio corpore, mente Papatui valedixi. Svidnicio Vraticlaviam, inde Nissam profectus, a Suffraganeo Neandro, & in Capuccinorum Monasterio magnifice excipiebar. Hinc digressus Olomitium, quæ primaria Moraviæ civitas est, Nemtschitzii, petente Parocho, Moravice concionabar. Brunæ per integrum mensem substiti, ubi Doctor Amandus ad S. Johannem Gvardianus, in Ferdinando Pragensi Collegio Collega quondam meus, omnem mihi faciebat gratiam, ac me liberalissime habebat. Quid vero cogitaverim, quando laudatus Gvardianus Monachum quendam Papatum deserentem ex Provincialis mandato Olomitium usque persequeretur, eundemque ibidem reciperet, unusquisque perpendat. Absente Gvardiano, flagitantibus Monachis, Comitem Colovvrat ad solennia festi Johannei invitavi: qui inter cetera de futuro captivorum Magnatum Hungaricorum fato mecum colloquebatur. Eodem cum veniret Comes Wirbna, de Privilegio quodam Svidnicensi Monasterio procurando egi. Inde veni Brigam, Brigam Vraticlaviam. Prope mœnia Urbis cum auriga aliquandiu in luto hæreret, vehementer mihi timui. Postea Lignitium discessi, ubi Alumni Gymnasii Lutherani in mei honorem Comœdiam exhibuerunt, quæ lætiores forte adhuc habuisset catastrophæ, si certi de consilio meo fuissent. Senatam tamen, etsi ratione monasterii Svidnicensis mihi obligatum, non sum ausus salutare, sed ad Glogoviam majorem properavi: ubi cum Barone Ditherrio, Loci Capitaneo de Confraternitate mortuorum Svidnicii erigenda sermones serui. A Gvardiano Glogoviensi honorifice in album Confraternitatis, cui multi Magnates nomina dare solent, receptus, ac liberaliter sum habitus. Postea me naviculæ commisi, nautisque Lutheranis, qui nescio an olfacientes sententiam meam admodum bene mihi voluerunt. Sex milliaribus Glogovia distat oppidum

pidum cuius nomen excidit. Inde discessi cum confectore Sme-
gmatis ad aliam civitatem, cuius quoque nomen oblitus
sum. Senatus Pontificius erat, Parochus vero custos Cano-
nicatus Vratislaviensis: quem nisi durioribus verbis & o-
stensione literarum mearum patentium compescuissem, pro-
propemodum mihi fuisset exitio. His tamen, & præcipue
mea Custodis dignitate motus benignius sentiens, laute & da-
psiliter per cœnam me tractavit. Cumque inter cœnandum
disputarem, eidem tritum illud pro Clericorum matrimo-
nio objeci: *Caliste, Caliste, propter ablationem Vxorum erit nobis
Festum tuum minus honeste.* Nam post canonizationem Ca-
lixti, quod ex Rom. Breviario demonstrabo, Officium
divinum sub semiduplici ritu eidem dedicatum in Papatu
novimus. Cumque etiam de S. Cœna disputarem, ac is (quod
absque jactantia dico) argumentis meis satisfacere non pos-
set, & propterea iram adversus me conciperet, Capellano ju-
niori, utpote doctiori, sponte cessi. Summo mane, ut con-
ceptam suspicionem amolirer, missam habui, cui ipse Custos
intererat. Deinde eopse die Saganum convolavi ad Cano-
nicos Regulares, a quibus comiter liberaliterque habitus,
cum Monachis, qui me quondam Pragæ noverant, dispu-
putando, eosdem de commissione mea sollicitos provide re-
jeci. Sequenti die ultimam Missam legi: quo animo Tu o mi
Deus! nosti: qui & mihi hoc serio dolenti per IESVM CHRI-
STVM plenam dedisti indulgentiam. A prandio, quod
splendidissime paratum erat, Görlicium properavi. In me-
dia via, cum ad Electorales Saxonicos me pervenisse fines do-
cerer, præ gaudio, non sine sarcasmo, exilui: quod magno-
pere affecit comites. Görlicii deposito habitu Pontificio ci-
vilem indui, cumq; primarius Pastor Dn. Michael Vetter sin-
gularibus me afficeret benefactis, menstruam ibidem insum-
si commorationem. Postea Dresdam me contuli: ubi Ma-
xime

xime Reverendus Dn. Martinus Geierus tum de aliis re-
bus, ac imprimis de Comite Jaroschinio (hic cur ad ca-
stra Pontificorum contra conscientiam transfugerit specia-
liora scio) tum de Transubstantiatione mecum locutus,
tandem fidem mihi habuit. Accepto deinceps diplomate
Electoralis Lipsiam me converti. Ibidem a Magnifico
hoc tempore Rectore Dn. Johanne Adamo Schertzero be-
nigne susceptus, ejusdemque convictui admotus, quod ex
vestitu politica magis quam Theologica appareret vita, con-
siliium de tractandis studiis Juridicis accepi: inque cum fi-
nem divendendo elargiendoque libros meos Papisticos, Ju-
ridicos Politicosque alios mihi comparavi. Interim sigil-
lum custodiae praesente D. Schertzero publico tabellario
commendatum, Commissario Rotbauero remisi: qui cum
aliis ad me rescripsit, & a tam impio, pro quo ipsi habebant,
proposito, ad Ecclesiam reverterer Catholicam, obse-
bant, atque obtestabantur. Habeo literas, quibus me *per Christi*
vulnera, per animae salutem, per misericordiam Dei, ut a Lutheranis
discederem, ex intempestivo zelo monebant. Inprimis autem
solicite id egit Reverendissima ac Illustrissima Maria Jaco-
be, Principalis dignitatis monasterii ad S. Claram Vratis-
laviae Abbatissa, ejusque Virgo Vicaria: quae non dubita-
runt suam totiusque Conventus fidem sigillo Monasteriali
munitam interponere, ne vel levissimam bonorum, existima-
tionis, munerum, deminutionem paterer. Pro quo affectu pio
(nam illam ex quadam ignorantia in his tenebris manere
credo) gratias ago maximas, cumque aliud referre neque-
am, conversionem ad nostram religionem ex toto corde pre-
cor. Tertio Maij religionem Pontificiam coram Reveren-
do Ministerio Lipsiensi ad S. Nicolaum recantavi, ac ore,
manu, menteque Augustanae Confessioni, ceterisque libris
Symbolicis fidem dedi. Ceterum, ut probaret DEUS fidem
me-

meum, tribulationibusque exerceret, ecce a mense Augusto miseriarum in me irrumpit confluges: quarum princeps erat lenta illa Medicorum crux Quartana, quæ adeo me emaciavit ac emedullavit, ut vix hærerem ossibus. Et quando jam pecunia mea esset in fundo, cum pauperie quoque conflictare cœpi: quæ per carnis imbecillitatem eo me affecit acrius, quo majori in Papatu innutritus fueram opulentia. Cum igitur aëris mutationem, quæ in his febribus magnum quandoque ad valetudinem habere solet pondus, corpusculo commodam fore putarem, re cum D. Schertzero communicata, acceptisque honorificis testimoniis, ad thermas Theplicienses excurri. Ultimus erat Martii mensis dies, quo Lipsia discessi. Ineunte Aprili Dresdam veni, ubi ex Illustri Dn. Carolo a Friesen & D. Geiero intellexi SERENISS. ELECTOREM mei curam habuisse. Quæ qualis fuerit, Wittebergæ postea edoctus, non potui non cum humillima devoti pectoris significatione agnoscere, & adhuc SERENISS. POTENTISSIMOQUE ELECTORI pro luculento stipendio, quo me SERENISSIMA EJUS CELSITUDO beare voluit, cuius tamen summam ignoravi, immortales agere gratias.

A feriis Paschalibus Pernam versus curru vectus, die XIV. Aprilis Teplicium veni: cum Sculteto tamen proximi pagi Evangelici (Cratanau nomen habet) agens, ut si in Thermis, aut ad eos reversus excederem vita, de me Lutherano more sepeliendo cum fide agerent, suppellectilem meam sumtibus parem esse demonstrans. XVIII. Teplicium adventat Archiepiscopus Pragensis, Matthias Ferdinandus ex Billenbergica familia oriundus, cum magna Jesuitarum Capuccinorum aliorumque Ecclesiasticorum cohorte. In quantis tum versatus fuerim angustiis, quot latebras quæsiverim, nunc cum horrore cogito. Post abitum Archiepiscopi eundem Pragam quoque abii, ibidemque divenditis vestibus
meis

dum Petrus Oßetzkius, Frater Laicus, feles tumultuantes dispellebat, opposita faciei chirotheca cum felibus avolavi. Inter ea quæsitus ab amicis, cum me proditum timerem, compositis rebus omnibus, & pignori loco relictis nonnullis reculis sequenti die Pragam reliqui, ac Vratislaviam concessi. Ibidem a Papistis agnitus Lignitium confugi. Ex tantis igitur periculis liberatus Dresdam salvus & incolumis reversus sum. Causam itineris si quæris B. L. non aliam habui, quam valetudinem, ac necessitatem summam: &, si illam cogitaveris, mitius de temeritate judicabis. Non semel mihi erat animus, ut captivus assumerer, permitttere. Nam, Deum testor me de religionis Papalis falsitate ac Lutheranae veritate semel ex fundamentis edoctum in hac emoriturum per gratiam Spiritus Sancti decrevisse: sed quod brevi vitæ terminum ad futurum crederem, meliora, quam illius Dominicani Ambrosii, de quibus jam ante quam Georgius Holyckius id publico scripto prodidisset, mihi constabat, expectabam fata. XXII. Julii Wittebergam profectus singularem Virorū Maxime Reverendorum Dnn. D. Calovii & D. Meisneri, ac rediit Lipsiam, D. Scherzeri, D. Lehmanni & Lic. Alberti, benevolentiam expertus, ac instructus testimoniis Academicis, ut & commendatitiis ad Dn. Jeremiam Balth. Ludovicū, Concionatorem Aulicum Gothanum, Dn. Wilhelmum Verporten, Sere-nisf. ERNESTO Saxoniae Duci a Consiliis Ecclesiasticis, per hanc Jenensem civitatē, Erfurtum contendo. Sed Jenæ a deo ægre me habere cœpi, ut Erfurtū veniens tandem nec pedes nec manus suum facere possent officiū. In illo igitur statu peccata confessus, & a Reverendo Viro M. Christiano Heusero S. Cœna refectus ad beatam *αγάθη* me composui, confectoq; a Notario Publ. Cæs. nomine suppellectilis mei instrumento, horam qua JESU CHRISTO Servatori animam redderem ingenti cum desiderio expectabam. Sed nondū illa venerat hora. Nam per sedulam D. Rehfeldii curam medicam, ac benefi-

cia

cia ab Ecclesiasticis & Civilibus personis & præcipue Tribuno Locumtenente Dn. Knorrio, liberaliter mihi præstita, imprimis autem Serenissimi ERNESTI Pientissimi Ducis donario, cui Dn. Verporten symbolam suam cum consolatoriis literis adjecerat, recreatus, tantum adipiscor vicium, ut in lectulo Gotham deferri possem. Ibidem novis Munificentissimi Ducis beneficiis, & annuo Stipendio adjutus, in sequentis anni mensem Majum permansi, summamque Senatorum Consiliariorum, in primis autem Magnifici Dn. Jobi Ludolphi, Camerae Præsidis, Maxime Reverend. Virorum Dn. Joh. Christiani Gotteri, Superintendentis & Synedrui Sacri Assessoris, Dn. D. Joh. Everharti laudati Hagio Synedrui Assessoris, Dn. Wilhelmi Verporten, & Dn. D. Adami Tribbechovii, Sereniss. Duci a Consiliis Ecclesiasticis benevolentiam prolixè expertus sum. Deus Opt. Max. pro eo infinita omnibus & singulis contribuat bona, & in primis Optimo DUCUM ERNESTO cum universa Serenissima Familia porro ex alto benedicat, aliisque Magnatibus in hoc exemplo sine exemplo ostendat, quanti referat PRINCIPEM ESSE PIVM. In primis autem multum obligatum me esse fateor Dn. Wilhelmo Verporten, tum quod ad studia Theologica me denuo revocaverit; tum quod ultra mensem convictorem sibi me esse voluerit; quod suis impensis de hospitio mihi prospexerit; Sacra Biblia Germanici idiomatis, aliosque libros donaverit, nihilque in me ex toto animo juvando & ornando omiserit; & demum Jenensis Academiae Theologis aliisque Viris honoratis me commendaverit: qui in me juvando & ornando nihil hætenus omiserunt, nihilque omittent in posterum: eisdemque omnem observantiam, obsequium & amorem sanctè polliceor. Sed ingratissemus essem mortaliū, si hic SERENISS. BERNHARDI, Ducis mei Clementissimi obliviscer, cujus Clementiæ annum stipendium debeo, gratisimaque mente agnosco, & pro ejus Serenissimæ Celsitudinis temporaria,

raria, æternaq; salute indefinente ad DEUM fundam preces.
Dicerem hic deniq; aliquid de Reverendissimi ac Serenissimi
Saxoniae Ducis MAURITII Ducali liberalitate, ad quam Il-
lustris Dn. Seckendorffius per Maxime Reverendum Dn.
Mitternachtsiũ fores mihi aperuit. Verum quia eandem brevi
singulari opella deprædicare constitui, hic desino, ac Spiritus
S. gratiam ad intemeratam in agnita ac confessa religione
constantiam, & ferendas, si quæ porro advolaverint, adver-
sitates, per JESVM CHRISTVM imploro. Atque hæc
sunt, quæ de vita mea commentari debui, aut potius per fe-
stinationem typothetæ potui. Quomocunque Papistæ
tum hæc tum ipsam Orationem acceperint, mihi perinde est.
Si me, pro more, lacefferint convitiis, paratus sum luculen-
tius omnia illustrare & liberius: imò ipsam Orationem,
non modo in Germanicum convertam, sed & Annotationi-
bus uberioribus declarabo. Interim, si quis erit, qui contra me
scripturus est, faxit Deus, ut eandem conversionis viam in-
grediatur, quæ mihi a Spiritu Sancto ostensa est. Tu ve-
ro vale, Lector Benevole, & si hanc operam meam non displicere
tibi, & pro ea, quæ ad Divinam gloriam celebrandam fa-
ciat, habere intellexero; præter alia, & in his, *Religiosi Status
Pontificii ab infimo Monacho usque ad supremum caput Papam de-
lineationem accuratior* a me expecta: itemque *Disserta-
tionem sequentis argumenti: Qui fiat, quod in tam clara luce E-
vangelica multa millia Pontificiorum, reclamante conscientia, tene-
bras plus diligant quam lucem, imo semel agnita & approbata veritate
ad Papatum revertantur: ac quomodo ad finem vitæ in Lutherana
religione possint retineri.* Scribebam in Inelyta Academia Sala-
na XIV. Novembr. An. clō IōC LXXIII.

F I N I S.

*Ut sphalmata typographica Præfationis & ipsius Orationis B. Le-
ctor per se emendet perhumaniter rogo.*

MA.

* * *


IN NOMINE PATRIS FILII ATQVE
SPIRITVS SANCTI AMEN.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR
VIRI

Maxime Reverenda dignitate conspicui, Nobilitate splendida fulgidi, Rerum gestarum amplitudine inclyti, Vtriusque Juris edecumata scientia Illustres, Incomparabili in re medica experientia præpollentes, Divinæ Humanæque sapientiæ studiis per eruditum Orbem florentes, Veneranda honorum munerisq; dignatione observandi.

Domini colendi, Mæcenates gratiosi, Patroni potentes, Fautores bene mihi volentes, Amici æstimandi.

Tuque generoso majorum sanguine, avita generis morumque nobilitate, clara variarum literarum doctrina singulariter resplendens Dominorum Studiosorum corona.

 lluxit hodie Divi MARTINI LUTHERI memoriae in fastis Ecclesiae nostrae dicatus sacratus-
A que

que dies: Dies faustus, dies felix, dies
exoptatus, & splendidissimo exube-
rantis gaudii suaviter coruscans lumi-
ne. O beatum, o terq; quaterq; bea-
tum diem illum, qui nostris repræ-
sentat animis incredibiles tanti Theo-
logi virtutes, ac infinita beneficia,
quæ per hoc Incomparabile Organon
Ecclesiæ his in terris militanti Divi-
na contulit benignitas. Non albo dies
hic signandus est lapillo, non clavo
consulari Romanorum more notan-
dus, non cedro inscribendus proce-
ræ, non tabulis incidendus roboreis:
sed perenni ac nunquam intermori-
tura religione observandus, enarran-
dusque non præsentibus modo or-
thodoxæ fidei alumniis: verum, ut hi
quoque eundem posteris recenseant,
adeoque illius religiosa observatio ad
feros

feros usque nepotes, & qui nascentur ab illis, feliciter transmittatur, enixo inculcandum studio.

Præclarissimus erat lucis dies, ac veluti ceterorum omnium parens, quo primum lux e tenebris est provocata. At longe, ceu equidem existimo, pulchrior, longeque excellentior est hodiernus dies, qui mentibus proponit nostris, quod cœlesti multoque sublimiori luce CHRISTI illuminata est Ecclesia: quæ antea maximam partem in ignorantia delitescibat tenebrit, inque spississima prope modum mortis umbra ambulabat, si ve potius infidis gressibus titubabat.

Illustris iste dies erat, summaque claritate celebris, quo maximis mundi luminaribus Sole ac Luna, istaque lucidissimorum siderum cohorte O-

A 2

mni-

omnipotens Creator exornavit coelum. At vero multo splendidiorerufcat gloria praesens dies, quo sancta recordatio Optimi Maximique Doctoris LVTHERI devote agitur, & pluribus in locis publicis sermonibus exponitur, quomodo per vigilantissimum hunc Divinae Veritatis Praeconem, obscurata, & tantum non extincta salutifera EVANGELII lucerna pristino fulgore, ac fulgentissimo splendore postliminio restituta sit.

Superstitiosum Corporis CHRISTI festum clerus Pontificius magnifica, sed supervacua, & partim impia, partim ridicula pompa quotannis celebrat, & consecratam, ac, ut illi nugantur, in substantiam carnis CHRISTI conversam hostiam circumgerunt. Quan-

Quanto autem rectius nos ho-
dierno die, non theatro quidem ap-
paratu, & cothurnatis coeptis, sed pijs
precibus, memoriam fidelissimi IESV
CHRISTI ministri LVTHERI cir-
cumferimus, Deoque flagrantissimis
suspirijs commendamus Ecclesiae no-
strae corpus; quod in istam, quam ho-
die adhuc habet, & contra portas in-
ferorum illibatam servabit, formam,
per efficacem LVTHERI praedi-
cationem, divina affulgente gratia,
coaluit.

In Lunae quidem, ceu vulgo appel-
lamus, feriam, MARTINI LVTHE-
RI dies hoc ipso anno incidit: non vi-
deo tamen, quid vetuerit, quo minus
in hac hebdomada geminatum statu-
amus Solis diem: alterum hesternum
Dominicum, quo aeterni Solis iustitiae

A 3

cum

cum maiestate ex tenebroso sepulcro
resurgentis beneficia commemorari
audivimus: alterum, quo B. LVTHE-
RVS celebratur & extollitur, quod
Papalium superstitionum crassissi-
morumque errorum nocte profliga-
ta, discussisque densissimis humana-
rum traditionum nebulis, salutarem
de vero Divinae veritatis Sole IESV
CHRISTO doctrinam in lucem ite-
rum reduxerit.

Hic igitur singulari, omnique lau-
dum praeconio memorandus dies oc-
casionem mihi praebuit, de LVTHE-
RO, at quanto Viro! quaedam in me-
dium proferre, eundemque cum
Sole reliquorum siderum Principe
comparatum vestro exhibere judi-
cio: non phaleratis quidem, aut spe-
ciosis, sed devotis, & quos infucata
pie-

pietas suggestit verarum laudum titulis.

Neque enim putavi majori ac graviore testimonio verum ac sincerum de religione nostra, quam olim inter necino odio persecutus sum, comprobatum iri sensum, quam si illum deprædicandum mihi sumerem Heroa, quem Papalium Scriptorum turba tot mendaciis onerat, tot dictis lacerat, tot horrendis proscindit conviciis.

Vestrum erit, Auditores omnium ordinum splendidissimi, primum quidem **LVTHERO** vestro meoque honorem, mihi que deinceps tribuere favorem dicenti, atque ea, quæ in meritissimas **Maximi LVTHERI** laudes rudi ac simplici dicturus sum sermone, pronis ac benignis suscipere auri-

auribus. Quod quidem etsi vos, pro
vestra in me benivolentia singulari,
sponte facturos confido, tamen officium
meum requirit, ut ea, qua par est,
observantiæ ac reciproci amoris si-
gnificatione id a Vobis expetam.

Quascunque res, sive sint illæ a na-
turalibus procreatæ causis, sive artis
industria confectæ, collatione inter
eas facta commodius proponi, diser-
tius explicari, ac dilucidius posse il-
lustrari, tam est apud omnes in con-
fesso, ut, qui ausus illud fuerit negare,
aut modo dubitationem de eo mo-
vere, non tantum inter Eruditos ha-
bere locum nequeat, sed nec a limi-
ne literas salutasse existimandus sit.

Postquam autem diu anceps ac
fluctuans hæsi, cum qua potissimum
re B. MARTINVM LVTHERVVM
com-

compararem, ipse hunc injeci coeptis
meis scrupulum, ac si nec mortalium
ulli, nullique rei totius hujus univer-
si exacte queat conferri: quippe qui
nec unquam habuerit, ac nunquam
habiturus sit parem; neque in amplis-
sima licet, foecundissimaque Orbis
machina quidquam reperiat, quod
excelso ejus ingenio, judicio sublimi,
eruditioni magnæ, fortitudini stupen-
dæ, felicitati insolitæ, omnibus nume-
ris respondeat: cum omnia Viri facta,
dicta, scripta, totiusque vitæ ratio pla-
ne fuerit suo tempore, ac erit inpo-
sterum vere incomparabilis.

Quoscunque enim confidero vel
ex veteri ævo Ecclesiasticos Docto-
res, quibus a junioribus, ob magnam,
quæ illis debetur, reverentiam, Pa-
trum nomen attributum est; vel me-

B

dii,

dii, & paulo ulterius progressi ævi.
Scriptores, quibus ob subtilitatem,
quam in scholastico Monasteriorum
pulvere supersticiosius sectati sunt,
Scholasticorum nomen adhæsit; aut
etiam æquales LVTHERI, quique
eum exceperunt, & ad hanc ætatem
usque sunt secuti (quos inter magnos
tamen Viros & fuisse seculo superiori,
& præfenti tempestate florere, ne-
mo inficias ire poterit) accuratiori
mentis trutina perpendo: quin ullus
horum tam proxime ad Theologum
Nostrum accedat, ut cum eodem
dextre valeat conferri, vehementer
dubito. Nimirum universæ, quibus
singuli excelluerunt dotes, ita in uno
resplendent LVTHERO, ut omnes
omnium virtutes animo suo summa-
tim complexum putem. Nonnulla
vero

vero generosi ac heroici pectoris dona adeo in ipso effulserunt, ut apud ceteros, vel plane non, vel saltem non in tam sublimi gradu sedem fixisse iudicem.

Quod vero ad res vita sensuque carentes attinet, multo major fuerit difficultas, vel unicam ex multis milibus reperire, cujus tantum pondus sit ac precium, ut cum Viro omnium ætatum, omnium populorum, omnium regionum maximo, conferri ac conciliari dignum sit.

Si tamen ullum horum assumendum est, non alii videtur magis LUTHERVS respondere, quam maximo, preciosissimo, formosissimo ac saluberrimo totius Vniuersitatis corpori, SOLI: Soli, inquam, eminenti fabricæ coelestis oculo, infallibili

temporum Duci, ac perenni reliquo-
rum luminarium scaturigini.

Enimvero quis neget Nostro LV-
THERO congruere magis, uno
verbo mutato, quam Epicuro Philo-
sopho, tanta nominis præstantia in-
dignissimo, elogium istud, quod Lu-
cretius, infulsa ejus opinione de volu-
ptatis inter humana bona principa-
tu infatuatus, inflatis buccis aliquan-
do cecinit?

Qui genus humanum donis su-
peravit, & omnes

Præstrinxit stellas, exortus uti æ-
thereus Sol.

Tanta Solis magnitudo est, ut terre-
strem mundi globum centies & sexa-
gies sexies superet; Lunam autem
excedat sexies millies quingenties
& tricis novies. Amplitudinem il-
lam

lam credibilem nobis reddit ipsa, qua
præpollet lucis copia, DEVS bone!
quam copiosa, quam opulenta! Nam
unus ipse cum lumina cœlo infert, &
roseo vultu lustrat terras, diem niti-
dissimum creat, tenebris dispulsis, fu-
gatis, ac profligatis funditus. Univer-
sus siderum chorus in unum si con-
gereretur lumen, nec minimam tanti
splendoris vim effundere potis esset.

Excellentissimi Doctoris LVTHE-
RI magnitudo tanta est, quantam
nec mens mea capere, nec animus
assequi, multo minus exilis sermo
meus linguaque balbutiens pro di-
gnitate possit exprimere. Megalan-
dri quidem titulo eundem merito ma-
estamus: at verò, quibus (quæ sane in-
finitæ sunt) dotibus illa *μεγαλότης* absol-
vatur, uti iusta narrationis exponatur

serie, virium mearum imbecillitatem
longissime supergreditur. Delibabi-
mus igitur ex illo cumulo paucula
tantum amplitudinis indicia, & quasi
ex latissimo innumeris floribus con-
sisto undique prato non nisi obvios
quosdam carpemus flosculos.

Magnos magna decent. **LVTHE-
RO** Megalandro magni natales con-
veniunt.

Nolite mirari, Auditores, quod
magnum censeam exorientis nostri
Solis primum aspectum, (nativitatem
intelligo,) quæ eidem contigit anno
supra millesimum quadringentesi-
mum tertio & octogesimo, decima
Novembris die, in vigiliis Divi Mar-
tini, quo nomine in sacro baptisma-
tis fonte a peccatorum sordibus ab-
lutus, appellari meruit. Nam licet
non

non ignorem, fulgido natalium
splendore & rerum gestarum ampli-
tudine conspicuos LVTHERO non
fuisse Parentes; cur tamen eam ge-
nituram, qua tantum Ecclesiæ colu-
men, tam robusta Ecclesiæ columna,
tantus doctrinæ cœlestis Stator, &
ut uno verbo dicam omnia, LVTHE-
RVS prodiit in lucem, pro maxima
æstimem, causarum mihi satis est. Ne-
que tamen adeo abjectæ sortis erant
Parentes, ac homunciones ex po-
puli sentina vilissimi. Nam Iohan-
nes Pater metallifossor erat, vir ho-
noratus, & qui postea mutatis sedi-
bus Mansfeldii magistratus gessit,
præcipuis in vicinia familiis affinita-
te, multisque officiis junctus, ac ob
singularem integritatem probis omni-
bus percharus.

Per-

Perinde quoque mater Margareta Zigleria non erat ex infima plebis fæce, sed conditione mediocri, virtutum vero sui sexus, & inprimis pietatis singulari studio, magni etiam nominis matronas longe post se relinquens intervallo. Plane igitur ferrati acuminis tui es oblitus, o bone Serrari! qui, quæ Africae quorundam populorum abominanda olim consuetudo erat, exorto Soli convicia dicere non es veritus: **LVTHERVM** scilicet ex incubo Dæmone natum, impudentissime commentus. Et quis non Delrionem delirare dixerit qui hoc enorme mendacium coloribus ementitis incrustandum & rationibus quibusdam, sed oppido elumbibus confirmandum sumsit? Nam quod madidus ille frater Iohannes
Nafs

Nafs Siculis his gerris fidem dederit,
mirum mihi non videtur, qui forte
hesternam, hæc cum eructaret, cra-
pulam nondum edormiverat. Nam
homini, cui sanum sinciput, nullisque
malesanis humoribus plenum, talia
in mentem non venire, certum est.
Atque idem ille misellus, quando
turpitudinem Constantini Coprony-
mi, quem in sacro baptismatis ritu
consecratam aquam conspurcasse le-
gimus, LVTHERO voluit objicere,
quid aliud perfecit, quam quod no-
minis sui famam turpissime comma-
culaverit?

Quod Bethlehemum, Servatoris
nostri patria in S. Scripturæ Pande-
ctis magna & parva dicatur, non sine
singulari factum esse mysterio, jam-
pridem observavit clara Interpretum

C

ma-

manus : quippe quæ pomœriis par-
va, ob maximum in ea natum Deum-
Hominem, ad tantam nominis per-
venit majestatem, ut maximas totius
Orbis clarissimasque Vrbes aufit pro-
vocare. Islebium, D. LVTHERI tel-
lus patria, nec inter minimas compu-
tari debet civitates, tum multis a-
liis nominibus, tum Aula Illustrum
Mansfeldensium Comitum, & opu-
lenti metallifodinis olim inclyta: at
quid hoc est adversus illam magnitu-
dinem, quam eidem conciliavit ma-
ximus illius civis MARTINVS LV-
THERVS? quo inter Germanos Do-
ctores majus celebriusque nomen
nemo est indeptus. Et sane miraculo
videtur esse propius, quod in hac ipsa
Islebia, domus illa, quæ recens natum
excepit LVTHERVM, in repetitis
oppi-

oppidi incendiis, vicinia omni con-
flagrante, inter medias flammæ, sola
manserit intacta atque illibata.

Quo magis super horizontem ele-
vatur maximum Solare lumen, eo
plures magisque coruscæ per orbem
spargit radios.

Quanto in tenella ætate suavissi-
mus MARTINVS pufio crescebat
annis, tanto majoribus optimæ indo-
lis radiabat indicis. Etenim, quod
Princeps eloquii Romani Tullius de
M. Coelio dixit, inflexa paululum ora-
tione, vere de LVTHERO affirma-
re licet: in prima adolescentia, tan-
quam in herbis, timorem Numinis,
animi impetum, vincendi cupidita-
tem, ardorem mentis ad invocandum
& glorificandum DEVM, clarius si-
gnificasse, quæ virtutis maturitas, &

quantæ fruges industriæ sint futuræ.
Introductus scilicet in scholam
Mansfeldensem tenerrimus licet pu-
er, a vide tamen elementa literarum
& catecheseos haufit, luculentaque
pietatis probitatisque specimina in
illa ætatula dedit. Quando venena-
tæ Iohannis Cochlæi & Casparis V-
lenbergii linguæ, quas tanquam infi-
dos duces male secutus Abrahamus
Bzovius, LUTHERVM quodam die
horis antemeridianis decies & quin-
quies a Præceptore cæsum sibilant,
decies & quinquies (audacter magna-
que voce dico) mentiti sunt. Quod
teste Philippo Melanchthone, a Ni-
colao Æmilio in scholam deportatus
est puerulus, non refractariæ mentis
erat indicina, sed luculenti in porti-
tore erga puerulum amoris testimo-
ni-

niūm: quemadmodum etiam Præceptor patulis eundem ulnis excepisse dicitur.

Nunquam quiescit Solis orbita, sed in perpetuo, certo tamen ac a Deo præfinito cursu itineris profequitur spatium. Quo ipso ordinato curriculo omnia quæ statuta ratione per cœlum fieri videmus, diem noctemque & migrantes inter utrumque prolixitatis brevitatisque vices, & certis temporibus æquam utriusque mensuram, deinde veris clementem teporem, torridum Cancris ac Leonis æstum, mollitiem autumnalis auræ, vim frigoris, inter utramque temperiem, mirabili dispensat vicissitudine.

Turpe fuisset adolescenti LV-
THERO ad majora contendenti
ignavæ litare Vacunæ, pigroque in-

dulgere ocio. Animus acer & erectus nullam in literarum cursu anhelabat requiem, sed plus ultra semper cogitans, mirabili tamen omnia disponebat ordine, ut in ipso vernantis adolescentiæ flore ostenderet, nec in medio graviorum laborum ac periculorum per adultam ætatem æstu quidquam detrimenti passurum sublime ingenium; sed audentius contra novercantis fortunæ procellas iturum: donec ætatis consistentis autumnus incredibiles pietatis, ingenii, eloquii, eruditionis, sapientiæ & prudentiæ fructus proferret, quique ipsam ingratam appropinquantis senectæ hyemem, si non jucundio rem, magis tamen redderent tolerabilem.

Nimis longum foret enarrare, quomodo Islebiam digressus Magdebur-

burgi & Ifenaci ftudiorum curfum
profecutus, tantum intra quadrien-
nium fpatii in eloquentia folutæ ac li-
gatae orationis, in arte mufica, (quam
fine Præceptore, qua erat folertis in-
genii felicitate, addidicit) inque reli-
quis confecerit doct̃rinis, ut Præce-
ptoribus amori fingulari, magnæ
Commilitonibus effet admirationi.
Ex umbra fcholarum trivialium in
coelum translatus academicum, in
vicino Erfurtenfi univerfali, ut tum
vocabant, Studio omnes difciplinās
velociter arripuit, & inftar Solis per
Zodiaci fidera volantis per Logices,
Philofophiæ primæ, Naturalis fcien-
tiæ, Ethices, Politices latifundia per-
transivit, ac fimul per totius mundi
hiforias perpeti curfu graffatus eft:
& quod rarum erat illo ævo, præter
Lin-

Linguarum Græcæ & Hebrææ peritiam Ciceronis, Maronis, Livii aliorumque monumenta perlustravit: ut dignus proinde haberetur, qui anno superioris seculi quinto, cum annum ageret ætatis secundum & vigesimum, Magisterii, quem appellare solemus gradum, consequeretur: quem tamen non metam, sed ulterius coeptum iter profequendi incitamentum habuit.

Sol rapido suo cursu non tantum pulchra, speciosa, & formosa, sed & putrida ac obscœna perlustrare necessum habet loca, nihil exinde assumens impuritatis, spurcitiei nihil: sed purissimum, liquidissimum, ac maxime sincerum semper servans candorem.

Nullum in claustris Monasteriorum

rum contraxisse LVTHERVVM im-
purioris doctrinae labem, affirmare
non audeo. Nam, quae erant illorum
temporum infelicitas, persuasum tunc
erat mundo, monasticam vitam Chri-
stianae perfectionis summum esse gra-
dum: quem si cui ascendisse detur,
infinitam Dei gratiam, tergemino ca-
stitatis, paupertatis, caecaeque obe-
dientiae voto acquirere, & ab aeterna
morte, furiisque infernalibus certo
certius liberari. Imo vero ipse LV-
THERVS cum postea rectiora esset
edoctus, ex animo doluit, se invito
Patre, qui raso Monacharum gregi,
nescio quam ob causam, infensus,
Gnatum civili admotum cupiebat
muneri, Eremitarum Augustiniano-
rum sodalitati nomen dedisse: id quod
altero post vigesimum aetatis anno

D

fe-

fecisse intelligimus. Haloni, luridæ il-
li ac deformi corporis solaris orbitæ
nebulosis tempestatibus quandoque
illud ambienti crinitam illam mona-
sticam coronam merito comparave-
rim: cujus primam originem ad S. Pe-
trum Apostolum qui referunt, tam
firmo utuntur fundamento, ac Pictor-
um vulgus, quando eundem CHRIS-
TI discipulum a nemine spectato-
rum agnitum iri putant, nisi illum in-
signi calvitie, cujus nec vola nec ve-
stigium apud sacros Quatuor-Viros
Evangelistas, aliosque sincerioris An-
tiquitatis Historicos exstat, præ Con-
discipulis reddant notabilem.

Ergo etiam hanc halonem circum-
ferre oportuit LVTHERVM Mona-
chum, qui jam in illa ætate, auream,
ob elegantiam ingenii, ac maturi-
tatem

tatem iudicii, in obscuro tamen
nonnunquam latitantis, gestare di-
gnus erat.

Sed bene cessit novello Monacho,
quod Coenobiarchæ primo illo Pro-
bationis consuetæ anno, tam arduam,
tam gravem ei imponerent provin-
ciam, ut facile ipsum coronati capitis
caperet fatietas: nec aliter de ea ab-
jicienda cogitaret, quam quando Sol
dispulsis nebulis aureum caput gem-
mantibus radiis præfulgidum ex nu-
bibus exserit, & se genuina Majestate
sua præfulgidum, absque ullo vela-
mine conspiciendum præbet mor-
talibus.

Desiderio non vulgari vos suspen-
sos sentio, Auditores, quænam illa
fuerint munia, quibus primo in Mo-
nasterio Erfurtensi LVTHERVM

D 2

de-

defungi oportuit. Dicam paucis: Loca sordida & quisquiliis plena purgare, aranearum telas perticis amovere, æditimi curis intentum claviumque pondere onustum sub tinnienti strepitu obambulare, ac cuique templum petenti egredientique adesse, horologium dirigere, ire mendicatum cum sacco per Civitatem, & quæ erant hujus farinae, aut furfuris potius farfarisque alia, liberali homine indignissima.

Quid de novitio **LVTHERO**, bonis Patribus fratribusque Augustinianis venerit in mentem, ambigo: parum tamen abest, quin dicam, tam insigniter illos delirasse, ac is, qui Solem in exsiccando luto, occupari videat, nullis præstantioribus actibus eundem dicatum esse autumet.

LVTHERVM tamen generosi
ex-

excelsæ mentis stimuli, non diu sine-
bant in tam fordidis occupari: sed ea
dere apud Superiores questus vaca-
tionem ab ejusmodi inhonestis servi-
tiis impetravit.

Immensam Solis vim in objectis
variantem conspicimus, &, quo est
istud nobilius, pulchrius, excellenti-
us, eo nobiliorem, præclariorem at-
que præstantiorem eidem largitur
virtutem. Quam diu verrendo clau-
stro, aut emendicando pani intentus
erat L V T H E R V S, ignea vis inge-
nii, ac insolitus ille ardor virtutem
suam nullatenus poterat exferere.
At postquam in Hipponensis Præsu-
lis Psalmorum Davidicorum inter-
pretationem, in ejusdem de Spiritu
& Litera librum, in Occami, ingenio-
fissimi illius Scholastici, ac Thomæ

Scotique acumina supergressi scripta,
in Gersonis Parisiensis Cancellarii
Commentaria, magno suo cum bo-
no incideret, familiaresque jugi le-
tione sibi redderet: O Deum im-
mortalem! quanta tum apparuit,
quamque incredibilis Monachi Isle-
biensis eruditio, quam vividus inge-
nii vigor, quanta mentis perspicacis
acrimonia: quæ privatis in sermoni-
bus, publicisque disputationibus, Gor-
dios quandoque nodos haud diffi-
culter solvendo, & labyrintheos an-
fractus sine mora decurrendo, felici-
ter demonstravit. Quod tamen in eo
vitæ genere non fugacem eruditio-
nis famam, gloriæque inanis præfidia
aucuparetur; sed solida veræ pietatis
alimenta quæreret: in legendis, repe-
tendis, ruminandis Sacris Bibliis, quæ
ali-

aliquando fortè fortuna (ecce tem-
pestatis illius tenebras) invenerat, as-
siduus erat, & accubuus: ut hujus be-
neficio unice sit adscribendum, quod
in tantum Ecclesiæ vacillantis colu-
men, ac illibatum lumen, Solemque
fulgentissimum evaserit: qui tot er-
rantium millibus viam veritatis ape-
raret, ac tanquam alter CHRISTI Præ-
cursor digito Agnum Dei common-
straret: cum hætenus ad monastica
caputia, orbiculata rosaria, ac in pri-
mis satisfactia, imò supererogato-
ria Operum Bonorum merita unicum
monstrassent afflictis conscientis re-
gium.

Post longas Brumæ noctes grata
veris serenitate magis se magisque
explicante Patresfamilias, ac opifi-
ces in primis, tabernarum fenestras,
paulo

paulo citius, non sine voluptate ape-
riunt, de aurora suis laboribus amica,
& jubare Solis mox secuturo, ne diu-
tius ad exiguum candelæ lumen ne-
gocia sua incommodius expedire o-
pus habeant, sibi gratulantes. At ve-
ro si quis in illorum numero tam stu-
pidæ aut etiam perversæ mentis es-
set, ut ceteris ad Solem laborantibus
ipse inter clathratos & repagulis ob-
septos cancellos, ad fumans oleum,
aut tenebricosum sebi halitum se ex-
ercere mallet: nonne se reliquorum
exponeret fannis, & quod caput est,
in benignissimum Solis Creatorem
admodum esset injurius? Quo igitur
animo fuisse putatis, Auditores, per-
versos illos Augustinianos Sodales,
qui clarissime videntes, quantam lu-
cem per monasterium spargeret LV-
THE-

THERUS, illum Luminis fontem
claudere, ac vibrantibus cœlestis ve-
ritatis radiis velum objicere præsu-
merent: hoc est, LVTHERO jam
Presbyteri gradu initiato ex manibus
extorquerent S. Biblia. Quanquam si
ex animo quoque LVTHERI era-
dicare potuissent sanctum Scripturæ
sensum, actum de eodem fuisset. Sed
summam illius dulcedinem tam alte
semel animo imbiberat, ut gustum
non nisi cum vita, imo nec in æter-
num depositurum speraret.

Sed ecce admirandam Numinis
divini providentiam! Solem toties
diximus B. LVTHERVVM: & is re-
vera erat: non tamen proprio, quem
nullum in se agnovit, nec unquam
nisi invitus externum admisit, sed
Sancti Spiritus splendore fulgens
E uni-

unice. Hujus sanctissimi Flaminis lux
efficacissima, aciem sodalium adeo
præstringebat, ut eandem æquo ani-
mo non valerent, nec fortassis, quod
illorum ingratiſſimam ἀχαριστίαῖν justo ju-
dicio puniret DEVS, ferre non debe-
rent. At dum LV THERVM Ro-
mam mittunt ad componendum in-
testinum Ordinis Augustiniani, qui
contra Vicarium Generalem in se-
ptem monasteriis conspirabat, diffidi-
um; in hac æterna urbe, in hoc mun-
di capite, ac gentium Domina, in hac
Magnificentissimi a CHRISTI latere
Legati, perpetuæque divinæ volunta-
tis Nuncii sede, in hoc throno sanctis-
simi Patris Papæ, in hoc terrestris Dei
folio, tantam impietatem, tot scele-
rum colluviem, tot enormiorum fla-
gitiorum monstra, & inter alia tam
pro-

protervas de Missa voces, & in ea celebranda plus quam Gallicanum frigus, suis oculis animadvertit, suis auribus excepit: nec ullam tamen impuritatem, (quo rursus respondebat Solari lumini Roma reportabat, sed potius horrorem scelerum, fugamque vitiorum curiosam.

Quod si igitur destinata Monachorum consilia intuemur, fatius ipsis fuisset, nunquam **LVTHERVM** dimisisse Romam, ne majorem tantum Lumen foeneraretur lucem: sed intra claustrorum septa ignei illi coererentur spiritus.

Attamen ita voluit Deus: qui illa tenebrarum opera, a tenebrarum Principe fabricata, atque tenebrarum filiis confecta, lucidissimæ luci per **LVTHERVM** in orbem ea pro-

pter missum, tandem aliquando exponi voluit.

Interim, dum Staupitius, Augustinianorum Generalis, vir alioqui bonus, & a **LVTHERO** magni æstimatus, tanquam stella erratica ad petendas ex Belgio sanctorum reliquias excurrit, **MARTINO** nostro Vicariatus honore exornato Visitatio cœnobiorum commissa commodam occasionem præbet, radios suos Solares per abdita claustrorum diffundendi, & divinum, quo indies effulgebat magis, splendorem divulgandi: quod præclare in commendando Monachis sanctæ Scripturæ lumen amandi, diligendi, suspiciendique, summo cum fervore præstitit.

Hactenus Solarem ascendentis **LVTHERI** cursum in vita monastica

ftica perluftravimus. Vberiore tunc
& illuftrio rem ejus contemplabimur
fplendorem : quo , poftquam majori
Spiritus Sancti gratia illuminatus,
crasfiffimis Regni Pontificii depre-
henfis tenebris , easdem coepit disji-
cere atque dispellere.

At vero, dum non multum abeft
a meridiano vertice, ecce in deliqui-
um incurrit, & Ecclipfin quafi quan-
dam patitur. Sicuti enim Solem inter
fuum terræque corpus Lunari globo
interposito obfcurari, & fuffufam tri-
fti rubore faciem tanquam lugubri
quodam peplo velatam occultare vi-
demus: ita LUTHERVS in doctri-
na de hominis peccatoris coram Deo
Iuftificatione agens, dum inter divi-
nam iuftitiam, fuorumque peccato-
rum, fi DEVS in iudicium fecum ire

vellet, molem, quodnam hic medium
interponeret, & quo se verteret ambi-
gens, in vehementissimam animi an-
xietatem incidit. Neque tamen sibi
tam difficulter ægrotanti Operum
Bonorum crepitaculis (perinde ac
Gentiles, qui laboranti Lunæ tinnitu
æris succurrere volebant) opem ferre
ausus est; sed ex Paulinis Epistolis
solam & unicam in IESU CHRI-
STO Mediatore Iustitiam quæren-
dam edoctus, ex decumanis tentatio-
num fluctibus emerfit, radiatumque
Solare caput super giganteas obje-
ctionum humanarum rupes feliciter
extulit: sic quidem, ut, ceu ipse scribit,
se renatum esse, & apertis portis in
Paradisum intrare sentiret. Hac igi-
tur fidei luce collustratus, & alios ipse
porro collustraturus, ante omnia Deo
salu-

salutis suæ maxime misericordi aucto-
ri ex intimis visceribus gratias agit
pro sapientissima monastici cursus sui
ad bonum & salutarem finem guber-
natione, in verba hæc aurea, perenni-
que memoria longe dignissima e-
„rumpens. Deus, cuius misericordiæ
„non est numerus, & sapientiæ ejus
„non est finis, ex omnibus meis er-
„roribus & peccatis quanta bona,
„ecce, promovit. Voluit Deus Aca-
„demiarum sapientias, & monaste-
„riorum sanctitates, propria, & certa
„experientia, hoc est, multis peccatis
„& impietatibus mihi notas fieri: ne
„impiis hominibus occasio fieret in
„futurum adversarium gloriandi,
„quod ignota damnarem.

Nam intaminatus noster Sol LV-
THERVS ad intima claustralium
fe-

secreta admissus in myſteria iniquita-
tis penitus ſe penetravit, & humiles
ſine deſpectu, pauperes ſine defectu,
ſitientes cum lagenâ, famelicos in ſa-
gina, virgines cum prole, aridos in flo-
re, ſervos dominantes, abdicatos pos-
ſidentes, laborantes otioſos, contem-
plantes negotioſos, mimos, quos Sol
unquam vidit, terræque globus tulit,
impudentiſſimos luculenter depre-
hendit.

Post illa **LV THERVS** novo
novæ Wittenbergenſis Academiae
cœlo, invitus licet, & ferme relu-
ctans, parario ad hoc Staupitio, infer-
tus, Profeſſoriam, quam nactus erat,
Spartam ſplendidiffime exornavit.
Quamvis autem Peripateticam Phi-
loſophiam inculcaret (cujus bonam
partem merito ſuo magnificat, adeo
etiam

etiam, ut Aristotelis Rhetoricam, tanquam ad formandas orationes maxime idoneam scriptis suis commendaverit: nunquam tamen a diligenti lectione Scripturæ, pro qua omnia ipsi sordebant, & præ quibus reliqua titivillitiis Plautinis, sive, ut cum S. Paulo loquar, purgamentis, quæ ^{οὐβία} ille vocat, inferiora censuit. Atque id etiam requirebat supremus ille Doctoris Theologiæ honos, anno millesimo quingentesimo duodecimo, Potentissimo Electore Saxoniae FRIDERICO SAPIENTE impensas suppeditante, eidem collatus. Huc accedebat accuratior trium linguarum, Hebrææ, Græcæ & Romanæ cognitio: quam maledicus Iesuita Gretzerus frustra ex ipsius LVTHERI scriptis vellicans, summi Nostratis Philo-

F lo

lologi Theologiq; Wolffgangi Fran-
tzii cenfuram incurrit.

Anno seculi superioris septimo de-
cimo phasma novum, a Stellis Majo-
ribus, sed quæ fidereo exciderant po-
lo, oriundum (de Iohanne Tezelio lo-
quor) bullatis Indulgentiarum sua-
rum nugis strenue vendebat fumos:
dignus, non cuius scriptiunculæ tan-
tum, quod Wittembergæ, in scio ta-
men factum est LVTHERO, pur-
gatorium sive deleterium potius subi-
rent ignem; sed ipse fumo interiret:
quamvis jam tum in adulterii crimi-
ne deprehensus ad culeum damnatus
fuiſſet. Hic sua nundinatione ad re-
dimendum magni cuiusdam Episco-
pi pallium tantum pecuniæ corraſe-
rat, ut vix capax & oblonga illa, quæ
hodie in cathedrali Magdeburgensi
tem-

templo aservatur, cista aureos argen-
teosque caperet. Hujus Tezelii fuli-
ginosis phantasmatibus LVTHE-
RVS theses breves & perspicuas op-
ponens, adeo ineptias ejus Indulgen-
tarias dispulit, ut ipse, ejusque asse-
clæ contra LVTHERI radios sta-
rent, tanquam in Sole butyrum. Ex
quo una discere est, quam vanum Al-
berti Krantzii, Hamburgensis Cano-
nici, variisque scriptis Historicis cele-
berrimi fuerit præfagium. Inaudiens
enim de LVTHERO, mortique pro-
ximus videns Anti-Tezelianas the-
ses, nunquam fore putans, ut parvum
hoc in oculis suis lumen ad tantam
claritatem perveniret, in hæc verba
„fertur eripuisse: O miser Monache:
„Abi in cellam tuam, & ora Pater
„noster, & Miserere mei Deus. Sunt

scilicet nonnulli & graves quando-
que Viri, qui de suo ingenio alios ju-
dicantes, non perpendunt sollicitate,
quam facilis & expedita Deo via sit,
ad maximas res perficiendas illorum
uti ministerio, quorum externa con-
ditio parum apud Magnates valitu-
ra putatur.

Jam lumen LVTHERI in summo
Ecclesiasticæ petrae cacumine posi-
tum ineffabilem splendorem suum,
plenis, ut sic loquar, amphoris diffun-
debat, locupletissimisque horreis di-
spergebat, non per Germaniam mo-
do, sed & per Hispaniam, Galliam, Bri-
tanniam, Hungariam, Bohemiam, Da-
niam, Sueciam, Poloniam, Italiam.
Nec hæc tantum regna, sed univer-
sum orbem adeo occupabat restitu-
tæ lumen veritatis, ut nullum fuisse
pu-

putem orbis angulum, quo, si non
Doctorem LV THER VM, & Do-
ctorum Lutheranorum pedes, scri-
ptaque LV THER I, tamen doctri-
næ Lutheranæ sonus pervenerit.

Tempore Arrii hærefiarchæ pesti-
lentissimum Satanicæ doctrinæ virus
tam subito perreptabat orbem terra-
rum, ut non incite dixerit Hierony-
mus, mundum tam cito se Arrianum
esse factum obstupuisse. E contrario
salutifera LV THER I doctrina,
(quam contra conscientiam plerique
Scriptores Pontificii impugnantes,
hæreticæ pravitatis accusant, ipsi hæ-
reticorum maximi) tam subito imple-
bat mundum, ut is se confestim Lu-
theranum esse factum admiratus, im-
mortales pro reddito tanto lumine
Sacrosanctæ TRINITATI ageret
gratias.

Neque ab isto cursu vel ipse LV-
THERVS, vel ejus dogmata coelitus
de lapsa revocari potuerunt. Quic-
quid enim machinarentur, moliren-
tur, sudarent, laborarent adversarii,
omnia incassum cadebant, ac oleum
atque impensam penitus perdebant
operam.

Facile credo multos privati cujus-
dam commodi ergo jucundi grati-
que splendoris Solaris loco pluvio-
sum quandoque anhelare coelum. Ce-
terum ut illi non fiunt voti sui com-
potes, præsertim si se semel in statam
serenitatem aeris tempestas contra-
xerit: sic frustra LV THERVM, ut
retraheret candorem suum, inter-
pellabant maximi, medioximi, infi-
mi. Nihil hic Maximilianus Cæsar,
& fervidius illud agens potentis-
simus

simus ejusdem nepos Carolus Quintus Imperatoris Edictis (quæ quam fuerint illegitima Illustris noster STRACHIUS in Dissertationibus Exotericis, sed quæ vere sunt Acroamaticæ, præclarissime ostendit) Nihil rugiens ille Leo Papa Drecketis (Decretis dicere volebam Suis) Nihil Cajetanus Cardinalis, enixis ad triflyllabum illud Re-vo-co sollicitationibus: Nihil Henricus Angliæ Rex aculeato libello licet Auream Pontificis Rosam lucratus: Nihil Georgius Saxoniam Dux plurimis in rebus ægre Doctori faciens: Nihil ambitiosus ille ECKIUS frequentibus contra LV-
THERVM disputationibus: nihil grandævus Sacri Palatii Magister Sylvester Prierias, Stentoreis, Papam esse super Concilium, clamoribus: nihil
gres-

gressibus grallatoriis incedens Ja-
cobus Hogstratus ad dira supplicia
Theologum deposcens : Nihil in-
quam, plane nihil, hi omnes, plures-
que alii perfecerunt. Sed LVTHE-
RVS & doctrina Lutherana inof-
fenso pede per Orbem uniuersum fe-
rebatur, & voluntatem Numinis Di-
uini exsequebatur. Nam a primis Co-
mitiis Augustanis, ut & aliis Worma-
tensibus, quo LVTHERVS doctri-
næ suæ radios tot Diabolis, quot te-
gulas in summis tectis Wormatia ha-
beret, objicere paratus erat, multo-
que magis post celeberrima Comitia
Augustana, anno trigesimo celebra-
ta (in quibus doctrinæ Lutheranae
Confessio in publico Imperii Statuum
conuentu publice recenferi & mox
in varias linguas conuerti meruit)
un-

undique restituta Evangelii luce
mundus est repletus: ut, quæ regio-
nes tenebras postea plus dilexerunt
quam lucem, viderint quomodo Deo
in decretorio illo die rationes reddi-
turæ sint.

Quicquid turbulenti ventorum
strepant turbines; quicquid sævum
murmurantia tumultuentur toni-
trua; quicquid crispifulcantia micent
fulgura; quicquid gravidæ nubes e-
jaculentur grandinum; quicquid lar-
giffui imbres caliginis inducant ter-
ris: Solem tamen hæc omnia nec-
quicquam in suo impediunt curri-
culo: sed is lætabundus coeptum
iter profequitur, omniaque illa lon-
gius intra se posita despicit, & sereno
vultu ridet.

Ipse infensissimus Christianorum

G

ad-

adversarius furore infernali percitus
aggrediebatur LUTHERVM: hor-
rendis suis tumultibus, & tumultuo-
sissimis faxorum ac tonnarum cir-
cumvolutationibus, eundem terre-
facere gestiens. Ne quid de eo di-
cam, quod sub monachi latens habi-
tu cum ipso aliquando disputare non
fuerit verecundatus. Maxime vero
per Diabolica instrumenta sua, Pa-
pam, Cardinales, Episcopos in eun-
dem faciebat impetum; gravissimas
minas crepando, ejusdemque sangui-
nem immodice sitiendo, nihil inten-
tatum relinquebat, ut illum a Divina
veritate confessa, scriptisque confir-
mata averteret, inque extremam de-
truderet perniciem. At enim, omni
hoc impetu, omni hac molitione ni-
hil perfecit magis, quam ut fortissi-
mus

mus **LVTHERVS** acceptis his
quasi calcaribus, coeptum iter per Di-
vinam gratiam lætiori profeceretur
animo, cunctosque bombos illos, &
sanguinaria decreta vilissime pen-
dens, linguam calamumque contra
regnum Satanicum stringeret vibra-
retque fortius, & irridens vanissimos
illorum nisus, unam post alteram in
DEO sui vindice, Præfide ac Pa-
trono potentissimo reportaret victo-
riam.

Incredibilem corporis Solaris esse
calorem, nemo non agnoscit; omnes
intelligunt: & quamvis aliqui ratiun-
culis quibusdam in dubium vocare
voluerint, communis tamen eos re-
fellit sensus, ac probatissima refutat
experientia. Et quæso vos, Audito-
res, qui posset Sol frigidis rebus im-

pertiri calorem; qui eundem posset
excitare, & augere, & confirmare; ni-
si ea ipse virtute esset præditus, &
quod aliis tribuit, ipse in gradu prius
possideat excellentissimo? cum alias,
quo ipse quis est destitutus, cum alte-
ro communicare nequaquam valeat.

O quanto quamque incredibile a-
moris Divini calore repletum erat
Maximi LUTHERI nostri pectus!
quanto quamque ardentissimo pre-
candi flagrabat ardore! quam ferve-
bat totus in dilectione proximi! quam
ingentem spirabat zelum in omni o-
pere bono enixe promovendo, in ma-
lis omnibus damnandis, tollendis, e-
radicandis! Omnes ejus actiones, o-
mnia ejus dicta, scripta ad unum o-
mnia, nihil habent teporis, nihil ha-
bent frigoris. Circumspicite ejus ge-
sta,

sta, Auditores: Vos Domini Studiosi,
legite ejus scripta non auro contra-
cariora, sed tota aurea: & deprehen-
detis in uno aliquo LVTHERI ver-
bo, in uno aliquo inciso plus esse ignei
fervoris, quam in grandibus aliorum
voluminibus.

Longus hic dicendi aperiretur
campus, si vocem meam in Divinissi-
mi viri resolvere vellem scripta: sed
& me ad illa dignis efferenda laudi-
bus plane fateor imparem, fatiusque
puto tacendo ea devote venerari,
quam parce, aut infra dignitatem ce-
lebrando Majestati eorum quicquam
detrahere.

Illud tamen, quod in transferenda
Scriptura in vernaculam linguam in-
comparabile impendit studium, præ-
terire nequeo: quo tantum de Ger-

mano orbe est commeritus, ut nullæ gratiarum actiones, nulla præconia, elogia nulla his laboribus queant satisfacere. Vivet illa LVTHERI Bibliorum translatio, quam diu stabit mundus, & contra Pistorios, Erbermannos, aliosque rabidos ofores in-contaminatam suam gloriam æternum confervabit.

Atque hic non possum non dolere, acerbisque deplorare lacrumis maxime calamitosum promiscuæ plebis, imo omnium laicorum in regno Papali statum, quando illis Nectare & Ambrosia Sacrarum literarum, adeoque optimo Sancti Spiritus dono privant. Ac uti facile credo, hoc maledictum strategema a Diabolo ipso excogitatum, & ab ejus Apostolis propagatum Pontificiæ Religionis ful-

fulcrum esse: ita multa millia ad ovile Christi reversura crederem, si iisdem sanctam Scripturam esset integrum cognoscere. At vos quicumque estis hujus inventi defensores & Patroni, quia calorem Spiritus Sancti in sanctis Bibliis revelatum invidistis miseris mortalibus, & frigidissimis vestrarum traditionum nugis eos detinuitis, in infernali illo, æternumque duraturo igne, tantum scelus expiabitis, & ob hoc scelestissimum facinus frustra licet, poenitendum erit!

Quam flagrantissimo sinceri conjugalis amoris ardore nobilissimam fugam Catharinam Bohreniam complexus fuerit LUTHERVS; quam tenerrime dilexerit liberos suos, iisdemque Divinum amorem implantaverit, & per alios implantari fecerit,
no-

notius est, quam ut pluribus a me explicari debeat. Neque hic vel tantillum moramur spurcissima illa, quibus malefani in Papatu homines **LVTHERI** lacerare voluerunt conjugium. Nam quanti aduersus Solem facit grunnitus porcorum, latratus canum, sibilus serpentum, mugitus bouum; tanti valent contra sanctissimum **LVTHERI** institutum, a Sancto Spiritu in Divinae voluntatis suae codice probatum, bonisque omnibus laudatum, inania hæc impotentium blateronum deliramenta.

Dicerem hic aliquid de ingenti **LVTHERI** in consolandis afflictis & tentatis ardore; sed rei ipsius magnitudo facit, ut admirari illum quidem possim, non item eloqui. Tam enim omnia hic divinissimum spirant
fer-

fervorem; ut facile liceat intelligere,
Sanctum Spiritum ad hoc officii ge-
nus singularibus & admirandis LV-
THERVM instruxisse præfidiis.

Tanta interdum vis Solaris est ca-
loris, ut viatores cogantur exteriora
vestimenta solvere ac deponere, ne
iisdem impediti in medio itinere co-
gantur gradum sistere, aut viribus
deficientibus in animi incidant deli-
quium. Multos profecto Luthera-
næ doctrinæ calor ita pupugit, mul-
torum corda ita affecit, ut maluerint
vestes suas, hoc est, externas opes, ho-
nores, & prærogativas mundi, dimit-
tere, nudique IESVM suum sequi
prius, quam in via Christianismi defi-
cerent, & in barathrum infernale præ-
cipites ruerent. Quorum in nume-
ro & me fuisse gaudeo, Deoque pro

H

in-

ineffabili bonitate sua, ex toto corde agens gratias, mihi gratulor, æternumque gratulabor.

Doctorem Andream Caroloftadium, a quo LVTHERVVS Theologiæ Doctor renunciatus erat, accepimus, penetrantibus Lutheranarum virtutum radiis motum deposuisse, vestes Theologicas, & habitum assumendo cineritium non amplius vocari voluisse Doctorem Caroloftadium, sed fratrem Andream accepimus. At vero hunc non calor virtutum Lutheranarum ad ponenda permovit vestimenta, sed lividus invidiæ, quo adversus LVTHERVVM flagrabat zelus: qui profecto a regia via deflectens ipsum in avia detrufit, atque præcipitia.

Mira res est, Auditores, sed, quæ oculis,

culis quia nostris quotidie objicitur,
non multos in admirationem rapit. I-
dem Sol, oculus coeli, mundique lam-
pas, stellas illuminat, pariter & obscu-
rat: de sua luce dat cunctis sideribus
splendorem illum purissimum; quo
ubi inhærent, coelum exornant, &
nobis mortalibus humi stratis inter
nocturnas tenebras illucent. Eripit
idem interdiu magnitudine sui can-
doris ac luminis iisdem splendendi
facultatem, ut in ardenti radio quam-
quam illuminata non cernantur.

Quacunque luce sunt præditi æ-
quales LV THERI Ecclesiæ Do-
ctores, quique ab occasu Solis nostri,
hoc est, a beatissimo ejus, non vio-
lento, non maligno, non desperabun-
do, quem hostes somniarunt ex hac
vita excessu, qui anno sexto & qua-

H 2

dra-

dragesimo contigit, ab illa usque ætate in præsentem diem floruerunt, Deo Optimo Maximo primum tanquam benignissimo lucis datori, ac deinceps LVTHERO acceptum illam ferre debent, vereque dici potest, ex fonte LVTHERI, reliquos omnes plurima hausisse dona.

Te testor, magne Martine Chemnici! ad te provoco Inclyte Iohannes Gerharde! in testimonium produco Lyseros, Hutteros, Graweros, Hafenrefferos, Meifneros, Menzeros, Balduinos, Winkelmannos, Ditericos, Himmellos, Höpfneros, Kesleros, Röberos, Quistorpios, Glassios, Fewrbornios, Dorscheos, Schmidios, Welleros, Waltheros, Dilherros, Vrsinos, & infinitos alios: ex quibus nemo est, cujus lucida scripta non testen-

stentur, quantum lumen ipsis illumi-
natus dederit LV THERVS: & in
quorum libris non radiant aurea Ma-
gni hujus Theologi dicta.

Et vos Sacratæ Theologiæ addicti
Domini Studiosi, videte ingeniosissi-
ma ac efficacissima Magnifici MVSÆI
nostri scripta! Intuemini gravissima,
tam impressa typis, quam manuscri-
pta Maxime Venerabilis NIEMANNI
Commentaria: evolvite exquisitissi-
mos Amplissimi BECHMANNI libros,
ipsasque illas, quæ adhuc vobis infi-
gni cum fructu vestro proponuntur,
in compendiarium Hutteri Theolo-
giam eruditissimas Annotationes: u-
noque mecum ore fatebimini, regna-
re in iisdem perspicua & illustria LV-
THERI dicta. Ut adeo, sicuti in cele-
berrimis Lipsiensi & Wittebergenfi,

H 3

ac

ac reliquis Germaniæ Orthodoxis A-
cademiis, ita quoque per hanc incly-
tam Salanam vivat, vigeat, floreat LV-
THERVS, eidemque suum fervetur
decus, suum eidem constituatur pre-
cium.

At, quod apud Pontificios Scripto-
res sint ac maneant Cimmeriæ tene-
bræ; quod vivida lucis vis exul ac
proscripta circumerret; quod omni-
virium conamine nihil veri, infucati-
que splendoris declarent: causam, si
vultis, dicam: Vna fax LVTHERI
omnes illorum obscurat lucernas.

Qui nuper splendidissimum MV-
SÆI nostri Opus de Ecclesia paulo
aliter ac Erbermannus (hic præter
conviciari parum addidit solidi) es
aggressus, in ipsa tamen janua, libel-
lique frontispicio gravissime halluci-
natus

natus es: dum nostros Doctores, i-
psumque adeo fulgentissimum L V-
THERVM in tenebris cum lucer-
nis lychnisque parum lucentibus ob-
errantes, conspiciendos dedisti. Nam
si vir fuisses, non puerilibus iocunculis,
sed claris rationibus rem ita se habe-
re demonstrasses. Quod tum quidem
fiet, quando lux in tenebras, nox in
diem, splendor Solis in obscuritatem,
inverso rerum omnium ordine, con-
vertetur.

At lucent tamen nonnulli Scri-
ptores Pontificii. Lucent, fateor: sed
ut lucerna mox extinguenda, & scin-
tillatione exili ac singultiente diffi-
culter se sustentans, & jam jam in ni-
hilum concidens. Lucent: sed ut i-
gnes fatui, qui viatorem illorum du-
ctum sequentem, in paludes & vora-
gines,

gines, in devia ac loca præcipitia de-
trudunt. Lucent: sed ut vermiculi
pyralides, lucem reformidantes. Lu-
cent: sed ut ligna putrida, quæ, si quis
colligere gestit, pro Theauris inve-
nit carbones, præ auro & argento
quisquiliæ.

Valete igitur cum lucerna vestra
minime lucente! Valete cum luce
vestra, quæ perinde a lucendo mu-
tuatur nomen suum, ac a movendo
mons. Misereatur Deus vestræ cæci-
tatis: & si ad veram lucem converti
vultis, convertimini. Sin minus, faciat
Deus, quod ejus Iustitia super præfra-
ctariam vestram impietatem, & vo-
luntariam decrevit incredulitatem.

Nos per Divinam gratiam in luce
ambulamus, quam, ut Deus Optimus
Maximus, Academiæ, Vobis, mihi-
que

que clementer fervet ex intimis cor-
dis mei voveo suspiriis: simulque de-
votissimas Magnifico Domino Re-
ctori, Amplissimo Senatui Acade-
mico, ceterisque splendidissimis Ho-
spitibus; ac vobis Nobilissima lectis-
simorum studiosorum corona, pro
benivolentissima auscultatione, ver-
bis quidem brevissimis, sed affectu
prolixissimo immortales ago, habeo-
que gratias; ac, ut porro mihi favea-
tis, meosque conatus patrocinio,
favore ac amore vestro subleve-
tis, majorem in modum

oro.

*** (o) ***

I

RE-

RECTOR ACADEMIÆ JENENSIS

JOHANNES MUSÆUS

SS. Theol. D. & Professor Publicus,

Una cum reliquis Professoribus,

Civibus suis S. P. D.

Inter Apocalypses Johanneas insignis est quæ *cap. XIV.* Babylonis excidium, ceu catastropham præcedentium in fideles calamitatum, explicat. Cum ipsa verò *Agni* in mediâ suorum afflictione exuperantis *victoria*, tum trina angelorum proclamatio, *Qui, quodnam Evangelium, quemve & cujus Babylonis casum odiumve afferant*, variè solet accipi. Sanè cum magni in Papatu (cui ista minari dicuntur) autores *Babylonem* eandem cum Roma septicolli heic agnoscant, qualis hæc, sub finem mundi, tempore Antichristi futura sit, à fide scilicet Christi & obedientiâ Papæ relapsa; præcellit probabilitate sententia, quæ *Martini Lutheri reformationem Evangelicam superiori seculo factam præfigurari* statuit. Comparet quis adumbrata capp. proximis ecclesiæ mala, vitio Paparum Romanorum inducta, & qualis in mediis tenebris & persecutione Agnus ille victor cum cætu verè credentium enituerit, quo ve impetu



petu successuque à tam tenui subsidio Lutherus
rem maximam confecerit, deprehendet, non
nostro, quibus ille probatur, sed & cujuscunque
alterius procul affectu æstimantis judicio lique-
re: Lutherum esse illum *Angelum primum*, non
sine Dei instinctu emisum, *volantem* doctrinæ
prædicatæ celeritate, *per medium cæli*, quippè
palam & in florentissimâ Christiani orbis parte,
preferentem ore & exemplis vitæ *Evangelium*,
quàm oppressis conscientis desideratum, tam
& divino ante secula condita decreto & perpe-
tuo in terris præconio *æternum*. Id verò *Ev-*
angelizatum habitantibus super terram, quàm
longè lateque pervaserit, *ad omnem gentem &*
tribum, & linguam & populum, etiam ad igna-
ros pro tempore nominis Christiani, aliove sub
Sole calentes, quàm acriter *timorem & honorem*
veri *Dei* & religionis puritatem à superstitione
& portentis impietatum vindicârît, manifestius
est, quàm ut operosè nunc ostendatur. Et quem
fugit secuta indè *Papatûs Romani*, tam ante to-
ti mundo terribilis, *ruina*, prostitutis ejus erro-
ribus & sceleribus, ad animos meliora jam edo-
ctos, præbitaque libertate, ne vel errandi ne-
cessitas, vel serviendi miseria superfit. Eadem
fortuna aperuit consilia ac disertam SS. Numinis
voluntatem, à successoribus Lutheri præclare

decantatam, *de odio*, quod Lútherus suis legaverat, *Papæ* jam corruentis; & *fugâ calicis* ejus, qui furorem vindicis Dei & torrentes perennium cum seductoribus diabolis poenarum in obstinatos erroribus suis effundet. *Spe* vicissim *eximâ finiendi beato obitu afflictiones* pro Dei gloria toleratas; & *fide* nimis certâ *ultionis in hostes veritatis*, qui *messe sui* & *vindemiâ* horribili luent, quicquid pravè commiserunt. Meditari porrò vices istas pium quemvis & Evangelicæ veritatis amantem convenit, cum aliàs, tum hoc tempore, cujus *crastinus dies* pararium melioris in ecclesiâ statûs divinitus oblatum, MARTINUM illum LUTHERUM, in vitalis luminis auras Islebiæ felicissimè edidit. Jam ante rectius paulò consulta antiquitas *Vindemia festum* ab Æsculapio Paganorum ad *S. Martinum Turonensem* transtulit. Huic non invito noster heros sociabitur, ut, procul Papalis canonisationis ineptiis, *Genethlia* viri tam egregiè de Christianâ Ecclesiâ meriti, cum plausu lætissimo & votis duraturæ in posteros doctrinæ salutaris, celebremus. Præiturum exemplo suo professus est *Vir perquam Reverendus & Clarissimus*, D. N. JOHANNES WENCESLAUS DENS, Theol. Doctor, & antehac *Cesareus in Keltchen Præpositus*, ut *Ordin. Minor*

nor. Convent. in Schvuidniz Guardianus.
Intellexerat, quanto suo periculo adorasset be-
stiam & imaginem ejus, & accepisset caracte-
rem in fronte & manu suâ. Fide igitur, quâ
Moses olim adultus, negavit se esse filium filia
Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei,
quàm temporalem peccati habere jucunditatem,
majores divitias aestimans thesauris Ægypti im-
properium Christi. Ita excessit ex consortio me-
retricis oecumenicæ, emaculatâque à contagio
abominationum ejus conscientiam, in posterum
ibit ovans animis & spe sua damna levabit. Et
sicut studio exterminati è patria æterni Evan-
gelii patientiam sanctorum inclytis Lipsiæ ac
Wittebergæ Academiis, bonisque aliis, in custo-
diâ mandatorum Dei & fide Jesu approbavit:
Lutheri etiam nostri elogio tam certum decus,
quàm idoneam sibi causam proponit. De
Paulino quidem, majore dicto, accepimus, cum
oculorum dolori & caligini S. Martinus tactu
peniculi remedium tulisset; cum & minor co-
gnominis ac Venantius Fortunatus cassos propè
lumine oculos oleo, quod in lychno ad imagi-
nem Divi arsit, inunctos, in pristinum vigorem
restitutos sensissent, ejus beneficii ergò singulos
e carmine eucharistico suam pietatem testatos.
Quid nostri Martini penicillus, quanta nutri-

mentum illud lampadis, quam Evangelicis accensam mortuus reliquit, Dentio Nostro non præstitit in tam profundis Papalium errorum tenebris cæcutienti? Certè *huc is dum properat, valido torquente dolore, Diffugiente gemens oculorum luce fenestris; Hoc procul ut tetigit benedicto lumen olivo, Igneus ille vapor marcenti fronte recessit.* Collyrium enim erat divinitus ostensum, ad visum in dignoscendâ suâ miseriam & observandis veris beatitudinis mediis recuperandum. Quis nunc gratisimi hominis institutum non vehementer prober, aut abnuat honorificam oraturo præsentiam elargiri? Aderimus imò conferti, & si quid apud Vos, *Cives optimi*, valet authoritas nostra, si memoria Lutheri, si gratia libertatis Christianæ, cujus recuperandæ rationes ille tam egregiè ostendit, suoque multo maximo labore & periculo executus est, si voluptas confociatæ in unâ fide spei, de quâ in conversis angeli ipsi in cœlo lætantur, hoc interprete monemus, ut pares animos ostendatis, *Crastini Hora X.* in Auditorio Majori frequentes & benevoli affuturi, applicato, quo Paulinus Junior olim perfunctus esse dicitur, in hofusus voto:

Vtinam

*Vtinam similis tenebras contingere cor-
dis*

*Tali luce velit divi medicina LUTHE-
RI,*

*Reddat ut antiqui rursus mysteria fa-
cti;*

*Nomen idem, medicusque idem, par caus-
sa medendi.*

*P. P. sub Sigill. Academ. D. IX. Novembris,
Anno Gratiae cl^o l^o LXXIII.*



s ac-
præ-
ebris
atido
rum
lu-
onte
ten-
ob-
ran-
tum
prifi-
mus
opti-
the-
ipe-
que
s est,
quâ
hoc
nda-
fre-
pau-
hos
nam

ULB Halle

3

004 957 091



1077






JOHAN



THER V
re non sim
retrici Bab
mae mea S
seductus e
tia sua se m
quomodo
ptoque ty
nam exhib
deliciarum
qui omnia
deprehen
ensis ac
alios nun
commenc
modestia
lia verba
a scribent




Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



S DEN S

tionem Luthe-
bar odio, qui-
quantum agre
tiam ex tene-
luci Evange-
re coepi B.L.V.
ribere ac dice-
s, ex quo Me-
suavissimo ani-
s amore misere
s inestabili gra-
t tamen nescio
m nullam scri-
nis mea indici-
Egyptiacarum
rium, novit Is,
ctuationis mea
timoniis Lipsi-
ceres (ut plures
bus nunquam
erius, fecit mea
& sesquipedal-
Inprimis tamen
cum acerbe con-
ficta-

